DE AGATHARCHIDE CNIDIO.

COMMENTATIO

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ROSTOCHIENSIUM ORDINE

PRAEMIO ORNATA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EIDEM ORDINI

TRADIDIT

HELMUTHUS LEOPOLDI

MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXXII.

DE AGATHARCHIDE CNIDIO.

COMMENTATIO

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ROSTOCHIENSIUM ORDINE

PRAEMIO ORNATA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EIDEM ORDINI

TRADIDIT

HELMUTHUS LEOPOLDI

MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXXII.

Ref.: *Professor Dr. Schwartz.*

GUSTAVO KOERTE

RICARDO REITZENSTEIN

EDUARDO SCHWARTZ

De Agatharchidis geographi aetate et vitae condicionibus haec exhibet Photius bibl. cod. 213 p. 171a 7: ἀνεγνώσθη Ἀγαθαρχίδου ἱστορικόν· ἔνιοι δὲ αὐτὸν Ἀγάθαρχον ὀνομάζουσιν· τούτῳ πατρὶς μὲν ἡ Κνίδος ἦν, ἡ δὲ τέχνη γραμματικὸν ἐπεδείκνυτο· ὑπογραφέα δὲ καὶ ἀναγνώστην ὁ τοῦ Λέμβρου Ἡρακλείδης, δι' ὧν αὐτῷ ἐξυπηρετεῖτο, παρέσχε γνωρίζεσθαι· ἦν δὲ καὶ θρεπτὸς Κινναίου. insunt nonnulla quae dubitationem moveant; neque enim verba ὁ τοῦ Λέμβρου Ἡρακλείδης quid sibi velint perspicitur, et Κινναῖος, qui ultimus commemoratur, quis sit dubitatur. qua de re Casaubonus pro ὁ τοῦ Λέμβρου Ἡρακλείδης legendum jussit ὁ Λέμβος Ἡρακλείδης, et Κινναίου Carolus Müller mutavit in Κινέου[1]). altera altera probatur conjectura. Cineas enim Polybio l. XXVIII 16,1 testante anno 170. a. Chr. Ptolemaeo VI Philometori ab intimis consiliis erat et Heraclidi Lembo aequalis, quem Suidas s. v. tradit sub Philometore floruisse et inter Ptolemaeum et Antiochum IV Epiphanem pacem confecisse. duo inter Antiochum et Philometorem orta sunt bella, quorum alterum anno 170. compositum est, alterum Popilius Laenas legatus Romanus finivit anno 168, ut priorem potius pacem firmaverit Heraclides: eodem igitur anno centesimo septuagesimo et Heraclides Lembus et Cineas summis rei publicae muneribus functi sunt, itaque ineunte potius quam exeunte regno Philometoris floruisse putandi sunt[2]). quodsi Aga-

[1]) v. F. H. G. t. III p. 191a, Geogr. graec. min. I p. LIV.

[2]) Henricus Frieten, De Agatharchide Cnidio diss. Bonn. a. 1848 p. 2 censet Heraclidem ad extrema Philometoris tempora revocandum esse, cum Sotionis et Satyri libros in compendium redegerit, quorum

tharchides alterius alumnus, alterius lector et scriba erat, fortasse extremis Ptolemaei Epiphanis temporibus natus est[1]: adolescentem enim puto fuisse Agatharchidem lectorem, cum non crediderim virum senem multumque in litteris versatum lectoris et scribae munere fungi solere[2]. quod quodammodo probatur ipsius Agatharchidis verbis; in Photi enim excerptis cod. 250. (c. 102) haec leguntur de Sabaeis Arabibus: εἰ δὲ μὴ πόρρω διεστηκυῖαν τὴν οἴκησιν κατεῖχον τῶν ἐπὶ πάντα τόπον τὰς δυνάμεις στρεφόντων, οἰκονόμοι τῶν ἀλλοτρίων ἂν ὑπῆρχον οἱ κύριοι τῶν ἰδίων ἄθλων· quae verba altero a. Chr. saeculo scripta haud dubie ad Romanos spectant; at negaverim talia verba de Romanis scribi potuisse ante annum 168, quo et Persei regnum deletum est et Popilius Laenas legatus Romanus sua auctoritate regem victorem et potentissimum Aegyptum relinquere coegit: tunc sane temporis tantae gravitatis erat nomen Romani imperii, ut auctor Alexandrinus sic scribere potuerit. — neque de exitu vitae Agatharchidis quidquam certius proferri potest, nisi eum senem fuisse ante

---

alterum Aristarchi discipulum fuisse Photius cod. 190 p. 151b 22 tradat. at erravit vir doctus ratus Satyrum Aristarchi discipulum eundem esse ac quem Peripateticum nominat Athenaeus l. XII p. 541c, cf. Müll. F. H. G. III p. 159.

[1]) Idem censet Müllerus Geogr. graec. I p. LIV, qui eum inter annos 190—180 natum esse putat.

[2]) Aliter censuit G. J. Schneiderus, qui nuper in Symbolis Joachimicis t. I p. 234 ss. sibi enucleasse visus est, Agatharchidem circiter annum 250. natum esse. Agatharchides enim ap. Müll. § 78 dicit, maximum draconem, quem ipse vidisset, fuisse triginta cubitorum; hunc draconem Schneiderus contendit eundem esse ac quem Diodorus et ipse Agatharchidem secutus l. III c. 36/37 narrat sub Ptolemaeo Philadelpho a venatoribus quibusdam ex Aethiopia Alexandriam translatum ibique cicuratum esse; inde collegit, Agatharchidem Philadelphi temporibus natum esse. sed rectissime adnotat Müllerus Geogr. graec. I p. 162, Diodorum quae Photius excerpsit omisisse; saepissime enim Diodorus et Photius, quorum uterque Agatharchidis quintum de mari erythraeo librum excerpserunt, alter aliud praetermiserunt, id quod statim intelleget, qui quamvis neglegenter Mülleri Agatharchidis editionem percurrerit.

annum 104. scripsit enim quinque libros de mari erythraeo, quorum primum et extremum Photius cod. 250. in epitomes formam redegit. quinti libri fine, c. 110, ipse affirmat Agatharchides, se non accuratius terram Troglodyticam describere potuisse, cum propter alias causas, tum propter aetatis infirmitatem: libris de mari erythraeo in periplo maris interni usus est Artemidorus, quem circa olympiadem centesimam sexagesimam nonam (a. 104—100 ante Chr.) floruisse Marcianus Heracleensis tradit in epitome peripli Menippei c. 3, v. Geogr. graec. I p. 566, 32. quo tempore periplum suum publici juris fecerit Artemidorus, nescimus[1]), sed non vana videtur esse conjectura Marcianum, qui Artemidori quoque periplum in compendium redegit[2]), eum floruisse ea potius olympiade contendisse, qua periplum editum esse legerat. qua de re non dubito affirmare Agatharchidem libros de mari erythraeo multum ante annum 104. confecisse, quoniam ita Artemidorus eos exscripsit, ut multis annis antea Agatharchidis libros in lucem prodiisse oporteat; itaque si bene animadvertimus eum natum esse regnante Ptolemaeo Epiphane, nostro jure contendere possumus Agatharchidem senem fuisse Euergetae II temporibus (annis 145—116 regnantis)[3]).

---

[1]) Conferas de vita Artemidori Rudolfum Stiehle in Philol. t. XI pp. 193—194.

[2]) Cf. periplum maris exteri c. 1, Geogr. graec. I p. 516, 4 ss.

[3]) c. 64 in Müll. Geogr. graec. I dicit Agatharchides, occidentales terrae partes accuratissime descripsisse Lycum et Timaeum, orientales Hecataeum et Basilim, septentrionales Diophantum et Demetrium. haud dubie illum Diophantum intellexit Agatharchides, qui Ponticas historias scripsit, quarum fragmenta exstant ap. Müll. F. H. G. IV p. 396 a. hunc historiarum Ponticarum scriptorem eundem esse suspicatus est Müllerus Geogr. graec. I p. LVIII b et Benedictus Niese (in Strabonianis Rh. Mus.) ac Mithridatis Eupatoris imperatorem, quem Strabo aliique commemorant. valde dubito num recte. Diophantus Mithridatis imperator a. 84. a Fimbria Romanorum imperatore victus est, vide Memnonem in Phot. bibl. cod. 224, apud Müllerum F. H. G. III p. 543, Rhoxolanos superavit, cf. Strab. p. 306 et Dittenberg. syll. inscr. graec. n. 252; an. 72 a Lucullo pugna devictus

Agatharchidis aetatem igitur certis finibus non possumus circumscribere; hoc unum constat, vixisse eum sub Ptolemaeis Philometore et Euergeta II. neque plus de ejus vitae condicione proferri potest. Cnidi eum natum esse Photius tradit, quocum consentiunt Strabo Athenaeus alii, conferas Agatharchidis fragmenta historica in F. H. G. III p. 190 ss. inde admodum juvenis Alexandriam petiverit necesse est, ubi Cineae alumnus erat et Heraclidis lector factus est. ac videtur totam vitam Alexandriae degisse, cum senex illic libros de mari erythraeo componeret, vide c. 110. num Athenas viderit, ex Photi verbis . . . ὃν αὐτὸς (sc. ὁ Ἀγαθαρχίδης) μεμάθηκεν παρὰ Πέρσου· Βόξος δ' ἦν τούτῳ ὄνομα, φησίν· ὃν . . . ταῖς

fugatus est, cf. Müll. l. c. p. 549. qui anno septuagesimo altero belli pericula atque labores suscipere poterat, vix quadraginta vel plus annis antea accuratam terrae orientalis descriptionem comparare potuit, qualem senex scriptor summa laude dignam haberet. atque omnino saepissime invenitur nomen Diophanti: sex Diophantos enumerat Dittenberger, tricies fere exstat in C. J. G., ut jam nihil cogat nos putare, Diophantum rerum Ponticarum auctorem fuisse Mithridatis imperatorem. sed exstat argumentum gravissimum. Müllerus suspicatur Agatharchidem etiam novissimos qui egerant de orbe terrarum scriptores recensuisse. at non commemoravit Polybium, qui multo ante Diophantum Mithridatis imperatorem vixit et in tricesimo quarto historiarum libro accurate terrarum orbem descripsit. qua de re nullus dubito quin Euergetae temporibus Agatharchides libros de mari erythraeo ediderit.

Liceat aliud quoque adnotare. Müllerus l. c. contendit Diophantum et Demetrium, quos una commemorat Agatharchides, coaetaneos fuisse. dubito num recte; causa quam attulit falsa est. Dionysius enim de comp. verb. c. 4 t. V p. 30 Reisk. haec verba exhibet: τοιγάρτοι τοιαύτας συντάξεις κατέλιπον, οἵας οὐδεὶς ὑπομένει μέχρι κορωνίδος διελθεῖν, Φύλαρχον λέγω καὶ Δοῦριν καὶ Πολύβιον καὶ Ψάωνα καὶ τὸν Καλατιανὸν Δημήτριον, Ἱερώνυμόν τε καὶ Ἀντίλοχον καὶ Ἡρακλείδην καὶ Ἡγησίαν Μάγνητα καὶ ἄλλους μυρίους. contendit Müllerus Demetrium Agatharchidis coaetaneum fuisse, quia post Polybium et Psaonem commemoretur. at Phylarcho antiquior est Duris, Heraclide, si quidem est Heraclides Lembus, ut ipse Müllerus suspicatur, multo antiquior Hegesias Magnes; non igitur temporis rationem habuit Dionysius, cum illos scriptores enumeraret, qui parum verborum compositionem curassent.

Ἀθήναις λιπόντα τὴν πατρίδα ἐμβιῶναι (c. 5) non colligi potest, etsi veri simile est[1]).

Agatharchidis opera Photius hisce enumerat verbis cod. 213 p. 171a 11 ss.: γράψαι δὲ τὸν ἄνδρα τοῦτον τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἔγνωμεν ἐν βιβλίοις ι΄· καὶ τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην δὲ εἰς θ΄ καὶ μ΄ παρατείνεται αὐτῷ ἡ ἱστορία· ἀλλὰ καὶ ε΄ βιβλία τὴν ἐρυθρὰν αὐτῷ πᾶσαν καὶ τὰ περὶ ταύτην ἐξιστοροῦσι . . . πλήν γε εἰσὶν οἵ φασιν αὐτὸν καὶ ἑτέρας συγγεγραφέναι πραγματείας, ὧν ἡμεῖς οὐδένα οὐδέπω ἴσμεν. ἐπιτομὴν δὲ αὐτόν φασι τῶν περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀναγεγραμμένων ἐν ἑνὶ συντάξαι βιβλίῳ, καὶ μὴν καὶ περὶ τρωγλοδυτῶν βιβλία ε΄, ἀλλὰ καὶ ἐπιτομὴν τῆς Ἀντιμάχου Λύδης, καὶ πάλιν ἄλλην ἐπιτομὴν τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων ἀνέμων, ἐκλογάς τε ἱστοριῶν αὐτὸν συντάξαι, καὶ περὶ τῆς προσφιλοῦς ὁμιλίας. quos extremos libros recenset Photius alios secutus quosque se ipsum vidisse negat, temporum iniquitate plane submersi sunt, ut ne conjectura quidem quidquam de iis statuere possimus.

Paulo aequior fortuna ceteris quae Photius enumerat Agatharchidis operibus exstitit. primo loco nominat τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐν βιβλίοις ι΄, quos libros commemorant Diodorus Lucianus Athenaeus Josephus Phlegon Trallianus, cf. Müll. F. H. G. III 195 ss. et Frietenium l. c. p. 14 ss. operis titulus non sibi constat; Diodorus dicit ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν, Athenaeus ἐν ὀγδόῃ Ἀσιατικῶν vel ἐν τῷ δεκάτῳ περὶ Ἀσίας, Lucianus et Phlegon ἐν τῇ ἐνάτῃ τῶν περὶ τῆς Ἀσίας ἱστοριῶν. simili modo etiam alterius operis quod recenset Photius τὰ κατὰ τὴν Εὐρώπην titulus mutatur ab Athenaeo, qui solus quae exstant hujus operis fragmenta servavit: modo citat ἐν τῷ δεῖνι τῶν Εὐρωπιακῶν,

---

[1]) Ex oratione quadam, quae invenitur in Agatharchidis excerptis cc. 11—17 Müll., nonnulli viri docti enucleasse sibi visi sunt, fuisse Agatharchidem Ptolemaei cujusdam regis tutorem totiusque Aegypti gubernatorem. sed quae argumenta primus Dodwellus, novissimus Müllerus p. LV ss. protulerunt, ut hanc sententiam probarent, profligavit Eduardus Hiller, qui diligentissime demonstravit hanc orationem in solum Aristomenem, Ptolemaei V. Epiphanis tutorem, quadrare, v. Fleckeis. diar. t. LXXXV.

modo ἐν δεῖνι ἱστοριῶν. cave credas sumpta esse haec fragmenta ex ἱστοριῶν ἐκλογαῖς, quas Photius recenset, hoc vetant Lucianus et Phlegon: immo utriusque operis titulus fuisse videtur Ἀσιατικαὶ ἱστορίαι et Εὐρωπιακαὶ ἱστορίαι[1]).

Tertio loco nominat Photius ε΄ βιβλία τὴν ἐρυθρὰν αὐτῷ πᾶσαν καὶ τὰ περὶ ταύτην ἐξιστοροῦντα, cujus operis librum primum atque extremum excerpsit Photius cod. 250[2]). brevius quidem neglegentiusque librum primum, accuratius fusiusque extremum. liceat paucis verbis adumbrare quae Agatharchides Photio auctore his libris professus sit. primo libro postquam breviter narravit Philadelphum primum Ptolemaeorum venationes Aethiopicorum Libycorumque elephantorum instituisse, multis verbis, unde mare erythraeum nomen acceperit, edocere conatus acerbum judicium facit de Dinia Argivo, qui mare ab Erythra Persei filio denominatum esse dixit; omnes enim ejusmodi narrationes, quas permultas enumerat, poetarum esse fabulas, quibus nihil commune sit cum fide historica[3]). quae secuntur, neglegentissime excerpsit Photius, narrationis connexu plane neglecto: perpauca exstant de regionibus, quae elephantos nutriebant, deque Aegypti finibus; accedunt orationis frusta, quam ante Ptolemaeum Epiphanem Aristomenes habuisse videtur, cf. supra pag. 9 adn. denique narratur, quibus armis Ptolemaeus nescio quis equites ad bellum Aethiopicum suscipiendum instruxerit. hactenus liber primus. — quinti libri initio

[1]) Simili modo Duridis historiae modo nominantur ἱστορίαι, modo Ἑλληνικὰ vel Μακεδονικά, vide F. H. G. II 468. — Ἀγαθαρχίδου ἱστορικὸν commemorat Photius cod. 213; quo titulo num intellegi velit historias Asiaticas vel historias Europiacas vel utrasque historias uno titulo collectas, non liquet.

[2]) Iterum hunc codicem recensuit et adnotationibus illustravit Carolus Müller, Geogr. graec. I p. 111—194.

[3]) Eratosthenis exemplum hac in re secutus est Agatharchides cum dicit: πᾶς ποιητὴς ψυχαγωγίας ⟨μᾶλλον⟩ ἢ ἀληθείας ἐστὶν στοχαστής, cf. Strabonem p. 7: οὐδὲ γὰρ ἀληθές ἐστιν, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης, ὅτι ποιητὴς πᾶς στοχάζεται ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας, cf. p. 15.

multum disseruit Agatharchides de falsa Asianorum qui dicuntur dicendi consuetudine; deinde postquam brevi urbes enumeravit, quae inde a Memphitarum urbe usque ad Aethiopiae fines sitae sunt, splendidam atque amplissimam nobis proponit descriptionem auri metallorum, quae tunc temporis ad fines Aegypti Aethiopiaeque exstabant. jam vero ad populorum, qui meridionales Aegypti partes habitabant, mores vitaeque rationes describendas progressus gentes singulas recenset, dico Ichthyophagos Rhizophagos Xylophagos Elephantophagos alios; animalia quae illic imprimis memoratu digna inveniebantur, enumerat, ut rhinocerotes, camelopardales, cynocephalos etc., denique exhibet sinus Arabici descriptionem, breviorem orae occidentalis, orientalis accuratiorem, ac grandibus verbis celebrat Arabiae felicis quae dicitur odores populorumque divitias. fine tandem libelli pauca adnotat de reciprocationis causis, de quibusdam arboribus piscibus plantis memoratu dignis: hic fere narrationum ordo et argumentum[1]).

---

[1]) Gualtherus Ruge contendit in Quaest. Strab. p. 65—68 solum Artemidorum integro Agatharchide usum esse, contra Photium et Diodorum epitomen tantum inspexisse. sane sententia audacissima et gravissimis argumentis opus est, ut viro docto adstipulemur. videamus igitur, qua utatur argumentatione: cap. 30 ap. Phot. promittit Agatharchides, se de populis, qui australes Aegypti partes habitent, acturum, contra cap. 31 abrupte nullaque explicatione data transit ad Ichthyophagos, qui Asiae oras habitant; quodsi apud unum tantum scriptorem legeretur, hunc epitomatorem sat levi pede per hanc libri partem percurrisse crederemus, cum vero Diodorus plane idem ac Photius tradat, necesse est utrumque scriptorem ex epitome operis Agatharchidei hausisse. quae cetera argumenta affert ad sententiam suam probandam, ipse confitetur non multi momenti esse (p. 68), qua de re ea omittere liceat: at ne quod attuli quidem argumentum multum valere puto. sic enim loquitur Photius c. 30: ὅτι παρὰ τὴν νότιον τῆς Αἰγύπτου κλίσιν τέσσαρά ἐστι φῦλα τὰ μέγιστα ... τὸ δὲ ἐκ τῆς παραλίας ὁρμώμενον τοὺς ἰχθύας ἀγρεῦον. τοῦτο δὲ τὸ γένος ... ἔστι ... τῶν ὑπολοίπων, ὡς ἔνιοί φασιν, μέγιστον· ἀπὸ γὰρ Αὐταίων, οἳ τὸν ἔσχατον μυχὸν κατοικοῦσιν, ὃν τῇ μεγάλῃ συμβέβηκε συγκλείεσθαι θαλάττῃ, μέχρι τῆς Ἰνδικῆς ... ἰχθυοφάγοι πάντῃ κατοικοῦσιν· postquam igitur Agatharchides recensuit populos, qui sub meridie

Libri quinti longe majorem partem inde a metallorum descriptione usque ad finem libelli exscripsit Diodorus l. III cc. 12—48. qui quamquam Agatharchidis vestigia artissime secutus est, bis tantum narrationum auctorem nominat tam dubiis verbis, ut, ni ipsa Agatharchidis verba exstarent apud Photium, nusquam putem viros doctos perspecturos fuisse Cnidium a Diodoro in describenda Aethiopia adhibitum esse[1]). ac tam arcte Diodorus auctoris vestigia pressit, ut paucis exceptis, quibus postea se de Britannia (c. 38, 2—3) et de Carthagine (c. 44, 8) locuturum proclamat, omnia quae protulit, inde paululo tantum mutatis verbis sibi assumpserit; neque ullam rem aut ipse de suo addidit aut aliunde inseruit[2]).

Aegypti habitarent, statim transit ad Ichthyophagos, et primum in universum eorum sedes definit. qua in re quidnam sit difficultatis, plane non video: neque enim de Ichthyophagis, qui ad Asiae oras habitant, sed in universum de omnibus Ichthyophagis egit Agatharchides cap. 31 ss., quorum in numero etiam ii sunt, qui sub meridie Aegypti habitant, cf. capp. 39—40. omnino id animadvertendum, Agatharchidem non accuratam descriptionem terrarumque definitionem curasse, sed satis habuisse populorum mores instituta vivendi rationes enarrasse, cf. Müllerum p. LXIa. denique liceat adnotare, Rugei modo Photii excerpta interpretanti permultas existere difficultates, quippe qui oblitus sit nos quinti tantum libri operis de mari erythraeo accuratiorem cognitionem habere, ceteros nescire.

[1]) Singula quae huc spectant collegit Schneiderus Symb. Joach. I p. 226 ss., qui multis verbis exposuit Diodorum Agatharchidem ipsum, non Artemidorum, de quo statim agam, secutum esse. — Agatharchidem bis nominavit Diodorus, c. 18, 4 et c. 48, 4. c. 18, 3 postquam dixit quosdam Ichthyophagorum populos neque minis neque suppliciis perturbari, haec verba exhibet: πολλοὶ . . . ἐξηγοῦνται σύμφωνα τοῖς ὑφ᾽ ἡμῶν εἰρημένοις περὶ τῶν ἀπαθῶν ἀνθρώπων. καὶ ὁ τρίτος δὲ Πτολεμαῖος . . . ἐξέπεμψε ἕνα τῶν φίλων, ὄνομα Σιμίαν, κατασκεψόμενον τὴν χώραν. οὗτος δὲ μετὰ τῆς ἁρμοττούσης χορηγίας ἀποσταλεὶς ἀκριβῶς, ὥς φησιν Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος ἱστοριογράφος κτέ. ita igitur sunt comparata Diodori verba, ut, ni ipsa Agatharchidis verba legeremus apud Photium, putandum esset, priora ab alio auctore sumpta esse. eodem fere modo altero loco Agatharchidem commemorat.

[2]) Dubitanter Müllerus, qui Geogr. graec. I p. 111—195 Diodori Photique verba sub unum conspectum collata nobis proponit, p. 140 adn., pro certo Schneiderus l. c. p. 243 affirmaverunt, c. 22, quo de

Agatharchidis vestigia etiam Artemidorus pressit, qui de mari rubro disseruit apud Strabonem l. XVI pp. 769—779; quamquam non Photi vel Diodori modo eum exscripsit, sed narrationum ordinem in suum usum mutavit: periplum enim scripsit. Agatharchides quinto libro primum Ichthyophagos et varios Aethiopum Troglodytarumque populos recensuit, tunc bestias memoratu dignas enumeravit, denique sinus Arabici oras descripsit: Artemidorus ab urbe Arsinoë meridiem versus sinus Arabici litora legens et urbes portus stationes insulas enumerans, quae de gentibus illis apud auctorem suum invenerat, periplo inseruit. sed jam non ea solum, quae apud Photium et Artemidorum ex Agatharchide assumpta legimus, attulit, immo multas alias insulas urbes portus commemoravit, quae in Agatharchidis quinto quidem libro non inveniuntur. quae unde sint sumpta quaestio est non ita facilis dijudicatu. liceat breviter, quae Agatharchidis descriptioni asseruisse videtur, adnotare.

p. 769. inde a τὸ ἀντικείμενον ἐκ τῆς Ἀραβίας ἀκρωτήριον usque ad διερεύνησιν τῆς τῶν ἐλεφάντων θήρας καὶ τῆς Τρωγλοδυτικῆς.

ibidem (εἶθ' ἑξῆς τὸν Ἀκάθαρτον κόλπον) καὶ αὐτὸν κατὰ τὴν Θηβαΐδα usque ad πνοαῖς καταιγιζούσαις τὸ πλέον.

Ichthyophagis ad Babyloniae oras habitantibus agitur, aliunde esse insertum. falso tamen. Artemidorus enim, qui et ipse Agatharchidis libris geographicis usus est, apud Strabonem p. 773, cum de Ichthyophagis disserit, haec verba exhibet: ἔστι δ' αὐτοῖς καὶ ἰχθυοτροφεῖα παντοῖα, ἀφ' ὧν ταμιεύονται. quae verba huc spectare statim elucet Artemidori narrationibus cum Diodoro collatis. — neque fortasse quam suspicionem Frietenius l. c. p. 47 movit, quamvis gravis sit, vera est, sc. avium Stymphalidum mentionem c. 30, 4 ipsius Diodori esse, quod abhorreat ab Agatharchidis indole et a Photio Aelianoque nat. an. XVII 41 omittatur. attamen Aelianus miras res sectatur neque ipsum Agatharchidem inspexisse putandus est; Photius permultas res omisit; Agatharchides narrationem quam protulit re ab omnibus celebrata probare voluit. — Schneiderus l. c. p. 243 avium Stymphalidum mentionem ne Diodori quidem esse affirmavit, sed ab alio quo Diodoro suppositam.

p. 770. ἅμα καὶ διὰ τὰς φθορὰς τῶν προσορμιζομένων ἀνθρώπων τὰς ἐκ τῶν θηρίων.

ibidem. ὅπου γε καὶ δένδρα φύεται καθ' ὕδατος παρὰ τοῖς ἐνταῦθα (cf. tamen Agath. c. 108 et quae mox sequuntur Strabonis verba νῆσος ἐλαίᾳ κατάφυτος ἐπικλυζομένη).

ibidem. εἶτ' ἄλλο ὄρος ἱερὸν ἔχον τῆς Ἴσιδος usque ad ἡ συμβολὴ τοῦ τε Ἀσταβόρα . . . πρὸς τὸν Νεῖλον (p. 771).

p 771. μετὰ δὲ τὴν Ἐλαίαν αἱ Δημητρίου σκοπιαὶ usque ad ἦν δέ τις ἐν βάθει Ἐνδέρα.

ibidem μετὰ δὲ τοὺς Κόνωνος βωμοὺς ὁ Μήλινος λιμὴν usque ad καὶ αἱ γυναῖκες ἰουδαϊκῶς ἐκτετμημέναι.

p. 771 fin. τῷ δ' Ἀντιφίλου λιμένι ἑξῆς usque ad κυνήγιον ἐλεφάντων τὸ πρὸς τῷ φρέατι καλούμενον.

p. 772 fin. μετὰ δὲ Εὐμένους λιμένα usque ad παρά τισι δὲ τούτων φύεται στύραξ οὐκ ὀλίγος (p. 773 init.).

p. 773. τῶν δὲ νήσων τινὲς τρεῖς ἐφεξῆς κεῖνται usque ad τὸ δὲ διάστημα οὐ γνώριμον p. 774.

p. 775 στιβίζονται δ' ἐπιμελῶς [ὡς] αἱ γυναῖκες, περίκεινται δὲ τοῖς τραχήλοις κογχία ἀντὶ βασκανίων.

p. 777. οἰκοῦσι δὲ καὶ νήσους προκειμένας πλησίον.

ibidem πρόκειται δὲ νῆσος καλουμένη Δία.[1])

---

[1]) Praeter ea quae modo attuli nonnulla exstant apud Strabonem, quae neque apud Photium neque apud Diodorum inveniuntur neque omnino Agatharchidi vel Artemidoro debentur, sed ab ipso Strabone inserta sunt, vide p. 774 de rhinocerote [οὐχ] ὥσπερ Ἀρτεμίδωρός φησιν usque ad p. 775 ἐκ μὲν δὴ τοῦ ὑφ' ἡμῶν ὁραθέντος ταῦτά φαμεν ἡμεῖς; p. 775 de camelopardali οὐδὲν ὅμοιον ἔχουσαι παρδάλει usque ad οὐδεμίαν γὰρ ἀγριότητα ἐμφαίνει, quibus contra Artemidorum pugnat Strabo. eidem fortasse debentur p. 775 ἃ δ' ὁ Σκήψιος λέγει Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ συνηθείας βιβλίῳ, μύθοις ἔοικε καὶ οὐ φροντιστέον αὐτῶν et οἱ γὰρ Ἰνδικοὶ μυθωδέστεροι καὶ οἱ Λιβυκοί, οἷς γε καὶ πόα ἐπιπεφυκέναι λέγεται: cetera omnia ab Artemidoro petita sunt. p. 769 enim dicit Strabo: τὰ μὲν δὴ τοῦ Ἐρατοσθένους περὶ τῆς Ἀραβίας τοιαῦτα· προσθετέον δὲ καὶ τὰ παρὰ τῶν ἄλλων. φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος. omnia igitur quae haec verba secuntur — dum locos modo commemoratos excipias, quibus apertis verbis eum vituperat — ex Artemidoro sibi sumpsit Strabo usque ad finem paginae 778, ubi Arabiae descriptionem his verbis definit: ταῦτα μὲν περὶ τούτων εἴρηκεν sc. ὁ Ἀρτεμίδωρος. falsus igitur est Gualtherus Ruge, qui l. c. p. 52—64 pro-

Quae omnia viri docti aliunde esse sumpta putaverunt, unus Müllerus quod video Agatharchidi assignavit [1]). quarum sententiarum utra sit recta videamus num erui possit. primo quam maxime videtur mirum esse, quod australem sinus Arabici oram accuratissime descripsit Agatharchides, ut Artemidorus — si quidem excipis pauca illa verba supra jam adnotata οἰκοῦσι δὲ καὶ νήσους προκειμένας πλησίον et πρόκειται δὲ νῆσος καλουμένη Δία, quae et ipsa ex Agatharchide desumpta esse vix puto quemquam negaturum — nihil addiderit, immo nonnulla omiserit his verbis: οὐ λέγω δὲ τῶν ἐθνῶν τὰ ὀνόματα τὰ πολλὰ διὰ τὴν ἀδοξίαν καὶ ἅμα ἀτοπίαν τῆς ἐκφορᾶς αὐτῶν (p. 777): contra de ora Troglodytica fere nihil protulit Agatharchides nisi pauca de insula quam Ophioden vocabant deque ora illa magnis navibus infesta. quod sane mirandum est, quoniam Alexandrini haud dubie multo accuratiorem notionem sinus orae occidentalis quam orientalis habebant. inde necesse est Agatharchidem non minus diligenter oram Troglodyticam quam oram Arabicam tractasse, idque evincitur Photi Diodorique verbis, quae inveniuntur capite 84, vide Photium: τὰ μὲν ἕως τῶν Ταύρων καὶ Πτολεμαΐδος ἡρμήνευται, et Diodorum (III 41, 1): ἀπὸ δὲ τούτων τῶν τόπων τὸν μὲν ἀπὸ Πτολεμαΐδος παράπλουν ἕως τῶν Ταύρων ἀκρωτηρίων προειρήκαμεν, ὅτε Πτολεμαίου τὴν τῶν ἐλεφάντων θήραν ἀπηγγείλαμεν. Diodorus nusquam antea egit de Ptolemaei Philadelphi — hic enim intellegendus esse videtur — elephantorum venationibus: qua assolet stupiditate auctorem suum exscripsit. qua de re pro certo affirmaverim Agatharchidem prioribus libris, cum elephantorum venationes narraret, accuratissime egisse de maris ery-

bare studet, Straboni quae apud Artemidorum de sinu Arabico invenisset, non suffecisse itaque eum aliorum quoque scriptorum libros adiisse.

[1]) Geogr. graec. I p. LXIV b: Artemidorum Agatharchidei operis libris primo et quinto usum fuisse, bene constat, ac consentaneum est non neglexisse eum reliquam operis partem, ex qua si non omnia, certe plurima fluxerint eorum quae de singulis oppidis vicis portubus venationibus Strabo excerpsit.

thraei ora occidentali.[1]) atque Artemidorum non neglexisse priores libros, eo apparet, quod e primo Agatharchidis libro petivit narrationem illam supra jam commemoratam de Erythra Persa, qui mari nomen dederit, v. Strab. p. 779. accedit quod Artemidorus multas urbes enumerat, quae elephantorum venationis causa conditae erant, vide p. 769: Φιλωτέραν . . . Σατύρου κτίσμα τοῦ πεμφθέντος ἐπὶ τὴν διερεύνησιν τῆς τῶν ἐλεφάντων θήρας καὶ τῆς Τρωγλοδυτικῆς; p. 770: ἡ Πτολεμαῒς πρὸς τῇ θήρᾳ τῶν ἐλεφάντων, κτίσμα Εὐμήδους τοῦ

[1]) Noli mihi opponere Agatharchidis verba c. 110: ὑπὲρ . . . τῶν εὐωδῶν ὅσα φέρειν συμβαίνει τὴν Τρωγλοδῦτιν χώραν, ἡμεῖς μὲν παραιτησόμενοι τὴν ἐξήγησιν ἄρδην ἀπολελοίπαμεν, quibuscum non male congruere videntur quae Diodorus dicit c. 40 fin. (c. 84 Agath.): ταῦτα μὲν οὖν τὰ μέρη τῆς Τρωγλοδυτικῆς ἔσχατα γνωρίζεται, περιγραφόμενα ταῖς ἄκραις, ἃς ὀνομάζουσιν Ψεβαίας. recte enim Müllerus adnotasse videtur, montes Psebaeos totum illum montium tractum significare, qui inde ab 18° lat. usque ad sinus fauces pertineat; inde incipit regio myrrifera et turifera, cujus fructus se non jam enarrare posse ipse Agatharchides profitetur. attamen eum non ignorasse oram usque ad Austri cornu pertinentem veri est simillimum, cum Eratosthenes, cujus opera Agatharchidi nota fuisse debent, haec pronuntiet apud Strabonem p. 769: μετὰ δὲ τὰς νήσους (sc. ἕξ, quae extra sinus fauces sitae sunt) ὁ ἑξῆς πλοῦς ἐστιν ἐγκολπίζουσι παρὰ τὴν σμυρνοφόρον ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν ἅμα καὶ τὴν ἕω μέχρι πρὸς τὴν τὸ κιννάμωμον φέρουσαν, ὅσον πεντακισχιλίων σταδίων· πέρα δὲ ταύτης οὐδένα ἀφῖχθαί φησι μέχρι νῦν. quin ab Agatharchide ipso docemur eum nosse hanc orae Troglodyticae partem; c. 40 enim disserit de Ichthyophagis, qui extra sinus fauces vitam degant, eosque neque aquam requirere neque gravissimis periculis perturbari neque sermone uti narrat. quos Ichthyophagos quominus Asiaticos putemus, ipse Agatharchides prohibet apud Diodorum c. 18, 4 (c. 41 Agath.) his verbis: φησὶν οὖν τὸ τῶν ἀπαθῶν Αἰθιόπων κτέ., cf. Pomponium Melam III 9, 4. denique Strabonis verba comparanda sunt p. 133 init. τούτου (sc. τοῦ Ἀραβίου κόλπου) δ' ἔκβασις εἰς τὸ ἔξω πέλαγος ἡ Κινναμωμοφόρος ἐστίν, ἐφ' ἧς ἡ τῶν ἐλεφάντων γέγονε θήρα τὸ παλαιόν: quibus in verbis τὸ παλαιὸν haud dubie spectat ad Philadelphi Euergetaeque tempora; conferas quaeso Agatharchidis caput primum et monumentum Adulitanum. qua de re Agatharchidis verba supra exscripta ita nos interpretari oportet, ut pronuntiemus eum accuratiorem terrae turiferae notionem desiderasse, quam ne Artemidorus quidem habuisse videtur, cum ap. Strab. p. 774 § 15 init. dicat: εἰσὶ καὶ στῆλαι καὶ βωμοὶ . . . μέχρι Νότου κέρως, τὸ δὲ διάστημα οὐ γνώριμον.

πεμφθέντος ἐπὶ τὴν θήραν ὑπὸ Φιλαδέλφου, cf. Agath. c. 84; p. 770 fin.: Λιμὴν Σαβὰ καὶ κυνήγιον ἐλεφάντων; p. 771: κυνήγιον τοῦ Κοράου καὶ ἄλλο φρούριον καὶ κυνήγια πλείω; ibidem Δάραδα καὶ κυνήγια ἐλεφάντων; p. 773 init.: εἰσὶ δὲ καὶ θῆραι πλείους ἐλεφάντων; p. 773 fin.: τὸ Πυθαγγέλου καλούμενον τῶν ἐλεφάντων κυνήγιον: ... καὶ τούτων ὑπέρκειται θήρα τῶν ἐλεφάντων; ibidem: ὑπέρκειται δ' ἡ Λίχα θήρα τῶν ἐλεφάντων: quae „κυνήγια" ni omnia, pleraque tamen Philadelphi Euergetaeque temporibus condita esse debent.

Quibus omnibus bene perpensitatis mea quidem sententia dubitari nequit, quin Artemidorus etiam ceteros Agatharchidis libros ad oram Troglodyticam describendam accurate secutus sit. quamquam non contenderim omnia, quae exhibet Artemidorus, ab Agatharchide petita esse: multas enim enumerat insulas urbes portus stationes promunturia, quae peripli quidem auctori enumeranda erant, ab Agatharchidis vero consilio aberant: populorum mores, regionum fructus, similia, non insulas stationes etc. nautarum in usum enarrare voluit. qua de causa putaverim Artemidorum ad oram Troglodyticam describendam periplo quodam usum esse, cui quidquid apud Agatharchidem invenerat, inseruit. singula quae Agatharchides et peripli auctor Artemidoro suppeditaverint, ne accuratissima quidem Agatharchidis Artemidori Plini aliorumque auctorum interpretatione discerni posse puto. itaque censuerim, omnia quae ad populorum descriptionem, pleraque quae ad elephantorum venationes, terrae fructus spectant, Agatharchidis esse, cetera perpauca periplo deberi.

De elephantorum venationibus multa verba fecisse Agatharchidem saepe dixi. nec vero solum ut belli arma pararent, naves instruxerunt Ptolemaei, sed etiam ut commercio novas vias aperirent. itaque naves emiserunt et ad elephantorum venationes et ad sinus Arabici oras explorandas, cf. Diodorum III 18, 4 (Agath.), 42, 1 (Agath.) et Strabonem p. 769 § 5 init. (Agath.), p. 789 § 5. consentaneum igitur est, Agatharchidem in libris de mari erythraeo mentionem fecisse de Ptolemaeorum commercii

studiis. atque perpauca nunc etiam inveniuntur apud Agatharchidem hujus studii vestigia, quae lubet hic adnotare. primum Diodorus l. III c. 43, 5 narrat Alexandriae reges sinum mercatoribus navigabilem reddidisse Nabataeos piratas quadriremibus scaphis persecutos. sed hoc fortasse non magni momenti est. contra c. 80 haec habet Photius: πρῶτον μὲν ἀπ' Ἀρσινόης παραθέοντι τὴν δεξιὰν ἤπειρον θερμὰ πλείοσιν αὐλοῖς ἐκ πέτρας ὑψηλῆς εἰς θάλατταν διηθεῖται στενοὺς ἔχοντα πόρους, οὐ γλυκέος ὕδατος, ἀλλὰ πικρᾶς ἁλμυρίδος τε καὶ πηγῆς φύσιν ἐχούσης τοιαύτην. εἶτα ἀπὸ τῆς λίμνης συμβέβληκεν ὁ Νεῖλος, ὀχετοῦ διά τινων ἀραιωμάτων εἰς τὸν κοιλότατον ὑπερθέοντος τόπον. quae verba non satis intellegi possunt, neque tamen Agatharchides ipse hoc loco plura protulit de illo lacu deque Nili rivulo, ut probatur Diodori verbis, qui et ipse Agatharchidis verba non intellexisse videtur. neque fortasse Photius bene auctoris verba reddidit, qui haud dubie idem pronuntiavit ac Strabo p. 804 § 25 init. Artemidorum ni fallor secutus: ἄλλη δ' ἐστὶν (sc. τοῦ Νείλου διῶρυξ) ἐκδιδοῦσα εἰς τὴν Ἐρυθρὰν καὶ τὸν Ἀράβιον κόλπον κατὰ πόλιν Ἀρσινόην . . . διαρρεῖ δὲ καὶ διὰ τῶν πικρῶν καλουμένων λιμνῶν, αἳ πρότερον μὲν ἦσαν πικραὶ κτέ. jam vero si tam breviter hanc rem tangere poterat Agatharchides, necesse est eum antea accuratius egisse de eadem re: Nili igitur rivom, quem ad Arsinoen urbem in sinum Arabicum perduxit Philadelphus, in libris de mari erythraeo descripsit.[1])

---

[1]) Liceat pauca adnotare de Arsinoe urbe, quam hoc loco commemorat Agatharchides. de hac urbe Artemidorus ap. Strab. p. 769 dicit: εἶτα ἄλλην πόλιν Ἀρσινόην· εἶτα θερμῶν ὑδάτων ἐκβολὰς πικρῶν καὶ ἁλμυρῶν, κατὰ πέτρας τινὸς ὑψηλῆς ἐκδιδόντων εἰς τὴν θάλατταν, καὶ πλησίον ὄρος ἐστὶν ἐν πεδίῳ μιλτῶδες. dubitaverunt viri docti, num duae fuisse urbes Arsinoe nominatae in hac extrema sinus parte putandae sint. Letronnius quidem et Droysenius (Hellenismus III² 2, p. 340) duas esse urbes censuerunt, etsi nullo alio loco altera Arsinoe commemoratur. at quam alteram nominat Artemidorus urbem Arsinoën, plane eadem est ac quam Diodorus et Photius enumerant, quam commemorant Diodorus I 33, 12, Strabo p. 804, vide:

Sed jam videamus, num Agatharchides praeter ea, quae l. III cc. 12—48 leguntur, etiam alia Diodoro suppeditaverit, et transeamus ad Diodori librum primum, cujus capite 41 Diodorus postquam aliorum virorum sententias de Nili incrementis diligenter accurateque refutavit, paragrapho quarta Agatharchidem suam sententiam dicentem facit hisce usus verbis: ἔγγιστα δὲ τῇ ἀληθείᾳ προσελήλυθεν Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος κτέ. fuerunt quidem qui crederent, totum hunc locum ab alio suppositum neque a Diodoro scriptum esse[1]): at argumenta prolata nihili sunt, immo certissime probari posse puto totam illam libri partem,

---

	Agatharchides:	
Artemidorus:	Diodorus:	Photius:
Philotera		
altera Arsinoe	Arsinoe	Arsinoe
aquae amarae	aquae amarae	aquae amarae
mons rubric.	mons rubric.	mons rubric.

Artemidorus igitur quae in diversis Agatharchidis libris invenerat dispersa, in falsum ordinem redegit.

Alia quoque liceat hoc loco adnotare. Artemidorus ap. Strab. p. 769 fin. haec exhibet: εἶθ' ἑξῆς τὸν Ἀκάθαρτον κόλπον καὶ αὐτὸν κατὰ τὴν Θηβαΐδα κείμενον, καθάπερ τὸν Μυὸς ὅρμον . . . ἐνταῦθα δὲ ἱδρῦσθαι Βερενίκην πόλιν ἐν βάθει τοῦ κόλπου. eodem fere modo Strabo p. 815 dicit οὐκ ἄπωθεν δὲ τῆς Βερενίκης ἐστὶ Μυὸς ὅρμος. sed cum longe inter se distent Myoshormus et Berenice, olim putavi Strabonem utroque loco eodem auctore usum esse, sc. Artemidoro, quem p. 769 secutus est; idem censuerunt Groskurdius, Schneiderus Symb. Joach. I 252, Vogel Philol. t. XXXXIII, Ruge Quaest. Strab. p. 91. itaque cum priore loco Artemidorus Agatharchidem exscripserit, putavi etiam quae p. 815 tradit Strabo, Agatharchidi deberi. sed quamquam ne nunc quidem dubito, quin Artemidorus p. 815 Strabonis auctor sit, tamen causa adhuc prolata irrita est. anonymus enim in periplo maris erythraei haec exhibet p. 1 init.: . . . λιμὴν τῆς Αἰγύπτου Μυὸς ὅρμος. μετὰ δὲ αὐτὸν εἰςπλεόντων ἀπὸ χιλίων ὀκτακοσίων σταδίων ἐν δεξιᾷ ἡ Βερνίκη. ἀμφοτέρων [δὲ] οἱ λιμένες ἐν τῷ ἐσχάτῳ τῆς Αἰγύπτου κόλποι τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης κεῖνται. quibus verbis cum Strabone collatis concidit causa adhuc prolata, Strabonem p. 769 et p. 815 eodem auctore usum esse. neque adhuc alia satis firma argumenta proferre possum Strabonem p. 815 Agatharchidem reddere.

[1]) v. G. J. Schneiderum in diss. De Diodori fontibus p. 11.

qua de Nilo agitur, ab Agatharchide esse petitam.[1]) priusquam vero sententiam meam probare conor, hoc praemoneo, Diodorum solita stupiditate auctorem quendam exscribere. c. 37, 4 enim vituperat Ephori sententiam, c. 39, 13 dicit ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἄν τις παρ' Ἐφόρῳ ζητήσειεν ἐκ παντὸς τρόπου τἀκριβές, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὠλιγωρηκότα τῆς ἀληθείας. en habes acerbissimum Ephori adversarium; contra Diodorus multos Ephori libros in bibliothecam suam recepit: ab alio igitur scriptore haec verba temere deprompsit.

Jam vero primo loco agamus de capitibus 37—41, quae haud dubie ab uno auctore petita sunt. ubique enim ἡ τῆς πείρας ἐνάργεια, ἀκρίβεια, ἀλήθεια postulatur, cf. 37, 4; 38, 3; 39, 5, 6, 7; 40, 5, 6; 41, 3. quam ἐνάργειαν se ipsum assecutum esse proclamat Agatharchides c. 41, 8. eodem modo ubique τὸ ψευδὲς τῆς ἀποφάσεως ceterorum auctorum ἐλέγχεται, cf. 38, 3, 6; 39, 11, 13; 41, 3: sola Agatharchidis sententia probatur. c. 37, 11 Herodoti sententia refutatur, quia etsi fortasse vera sit, tamen ἀναπόδεικτος sit: quocum congruunt 39, 6; 40, 1, 5, 6 (δίκαιον δὲ τοὺς περί τινων διαβεβαιουμένους ἢ τὴν ἐνάργειαν παρέχεσθαι μαρτυροῦσαν ἢ τὰς ἀποδείξεις λαμβάνειν ἐξ ἀρχῆς συγκεχωρημένας) et ipsius Agatharchidis verba c. 41, 6: πολλὰ γὰρ τὴν φύσιν ἐναντίως φέρειν, ὧν τὰς αἰτίας οὐκ ἐφικτὸν ἀνθρώποις ἀκριβῶς ἐξευρεῖν· μαρτυρεῖν δὲ τοῖς ὑφ' ἑαυτοῦ λεγομένοις καὶ τὸ γινόμενον περί τινας τόπους τῆς Ἀσίας. eodem modo refutatur ἡ κατὰ τὸ πιθανὸν εὑρησιλογία, cf. 37, 9, 10 (ἡμῖν δ' ἀληθέστατος εἶναι δοκεῖ ὁ πλεῖστος ἀπέχων προσποιήματος); 39, 7, 41, 3. contra maximi momenti esse dicuntur incolarum sententiae ut Bolgiorum Troglodytarum, cf. 37, 8—9, quippe τῆς κατὰ τὸ πιθανὸν εὑρησιλογίας πολὺ κεχωρισμένων; Herodoti quidem sententia refutatur etsi a Nasamonibus probata, quia ἀναπόδεικτος sit, c. 37, 11: contra

[1]) Cf. Eduardum Schwartz, Hekataeos von Teos in Mus. Rhen. vol. XXXX p. 227: von der ersten Hälfte des ersten Buches sondert sich der Abschnitt über den Nil (cc. 32—41) ohne Weiteres als ein zusammenhängendes Ganze aus; ich denke baldigst den Beweis zu veröffentlichen, dass er aus Agatharchides von Knidos genommen ist.

Agatharchides et ipse ad suam sententiam probandam profert τοὺς περὶ τοὺς τόπους οἰκοῦντας βαρβάρους, quippe τῆς ἐναργείας αὐτῆς μαρτυρουμένης c. 41, 8. denique ubique ceterorum sententiae analogiae legibus refelluntur, Agatharchides suam sententiam analogia probare studet c. 41, 7.

Quibus rebus omnibus demonstratur, summam sententiarum consensionem esse inter capita 37—41, 3 et 41, 4—9, cum quae ceteri neglexerint, se unum assecutum esse proclamet Agatharchides. quae cum ita sint, nostro jure contendere possumus totam disputationem de Nili incrementis ex Agatharchide esse petitam.[1]) atque optime haec sententia confirmatur solita Diodori neglegentia. cap. 37, 7 enim dicit Ἔφορος δὲ καινοτάτην αἰτίαν εἰσφέρων κτέ. videamus, quorum virorum sententias refutet Diodorus. recensentur Thales Anaxagoras Herodotus (c. 38), Democritus Ephorus (c. 39), sacerdotes Memphitae (c. 40), Oenopides Chius Agatharchides (c. 41): non igitur Ephorus, sed Agatharchides omnium quos Diodorus recenset auctorum novissimus est. num igitur recte judicat vir quidam doctus[2]), totum illum locum suppositicium esse? minime gentium. immo si reputamus, Diodorum hac quoque disputatione neglegenter ut solet auctorem suum exscripsisse, quippe qui acerbissimum judicium faciat de Ephoro, sponte nascitur suspicio, eum temere verba καινοτάτην αἰτίαν in suum opus recepisse. quodsi recte contendimus Agatharchidem tota de Nili incrementis disputatione fuisse Diodori auctorem, optime haec verba intelleguntur: quippe Agatharchides suo jure dicere potuit Ephorum „novissimam causam" protulisse, cum quos ceteros auctores nominat omnes Ephoro antiquiores sint.

Jam vero ad ea quae praecedunt Diodori capita transeamus. cc. 10—29 agit Diodorus de Aegyptiorum

---

[1]) Diodorum l. I cc. 36, 7—41, 9 ex Agatharchide sumpsisse, contendit Val. Rose, Aristoteles Pseudepigraphus p. 240 et Dielsius Doxographi p. 227.

[2]) Schneiderus in dissertatione sua p. 12.

theologia Hecataeum Tejum secutus, a quo etiam cc. 30—31 petivisse videtur, siquidem capitis 31 finis certissime Hecataeo assignandus est, v. Ed. Schwartz l. c. p. 224; 227. inde his verbis progreditur ad Nili descriptionem c. 31, 9: ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων τὰ κατὰ μέρος μικρὸν ὕστερον ἀναγράψομεν, περὶ δὲ τῆς τοῦ ποταμοῦ φύσεως καὶ τῶν κατὰ τὴν χώραν ἰδιωμάτων νῦν διέξιμεν. quae postea se narraturum proclamat Diodorus, sequuntur c. 46; videtur igitur Hecataeum relinquere et ad alium auctorem transire. quisnam fuerit novus Diodori auctor, eo evinci videtur, quod inde a capite 37 Agatharchides exscriptus est; quocum bene congruit, quod c. 33, 11 Philadelphus commemoratur, quem in libris de mari erythraeo saepe nominat Agatharchides, cum Hecataeus semper ad Soteris tempora spectet. sed ut rem ad liquidum perducamus, paululo longiore via incedamus oportet.

Libro tertio Diodorus postquam inde a capite altero disseruit de Aethiopum aetate religione legibus vitaeque condicionibus, c. 11 haec adnotat: περὶ δὲ τῶν συγγραφέων ἡμῖν διοριστέον, ὅτι πολλοὶ συγγεγράφασι περί τε τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Αἰθιοπίας, ὧν οἱ μὲν ψευδεῖ φήμῃ πεπιστευκότες, οἱ δὲ παρ' ἑαυτῶν πολλὰ τῆς ψυχαγωγίας ἕνεκα πεπλακότες, δικαίως ἂν ἀπιστοῖντο. Ἀγαθαρχίδης μὲν γὰρ ὁ Κνίδιος ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν καὶ . . . Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἐφέσιος κατὰ τὴν ὀγδόην βίβλον καί τινες ἕτεροι τῶν ἐν Αἰγύπτῳ κατοικούντων, ἱστορηκότες τὰ πλεῖστα τῶν προειρημένων ἐν πᾶσι σχεδὸν ἐπιτυγχάνουσι . . . καὶ τοὺς λόγους τῶν ἱστορικῶν ἐξελέγξαντες τοῖς μάλιστα συμφωνοῦσιν ἀκόλουθον τὴν ἀναγραφὴν πεποιήμεθα. inde evidens est Agatharchidem et Artemidorum multa plane eodem atque Diodorum modo cc. 2—11 de populis Aethiopicis rettulisse. cum vero Artemidorum et ipsum Agatharchidem exscripsisse appareat e Strabonis libro XII pp. 769—779, nostro jure collatis Diodori verbis Ἀγαθαρχίδης . . . ὁ Κνίδιος καὶ . . . Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἐφέσιος . . . καί τινες ἄλλοι . . . ἱστορηκότες τὰ πλεῖστα τῶν προειρημένων σχεδὸν ἐπιτυγχάνουσιν contendere possumus, Artemidorum, quae de Aethiopum legibus institutisque proferebat, ex Agatharchidis libris Asiaticis

sibi assumpisse, ut altero loco ejusdem auctoris libros de mari erythraeo exscripsit. jam vero Strabo extremo libro geographicorum iterum ad Aethiopiam reversus nonnulla addidit, quae antea cum Artemidorum secutus sinus Arabici oras describeret, omiserat. qua in Aethiopum descriptione multa quam maxime congruunt cum Diodori capitibus 6—10, conferas quaeso quos Diodori Strabonisque locos exscripserunt Schneiderus Symb. Joach. p. 247 ss. et Rugeus l. c. p. 94. inde collatis quae modo exscripsi Diodori verbis collegerunt viri docti [1], Strabonem quippe qui l. XVII saepissime Artemidorum sequeretur, hac quoque Aethiopiae descriptione Artemidori libros geographicos inspexisse. neque minus ni fallor inde probatur Agatharchidem altero libro historiarum Asiaticarum eadem de Aethiopibus rettulisse ac Diodorum cc. 6—10, Strabonem pp. 821—823. jam vero Strabo nonnullis locis valde conspirat cum Diodori libro primo, conferas quos adscribam locos:

Diodorus l. I c. 33:	Artemid. ap. Strab. p. 821:
§ 1. . . . τὴν ὀνομαζομένην Μερόην, ἐν ᾗ καὶ πόλις ἐστὶν ἀξιόλογος ὁμώνυμος τῇ νήσῳ.	ἡ Μερόη, πόλις ὁμώνυμος τῇ νήσῳ.
§ 2. ταύτην δὲ τῷ μὲν σχήματί φασιν ὑπάρχειν θυρεῷ παραπλησίαν,	τὴν δὲ νῆσον θυρεοειδῆ φασι τὸ σχῆμα.
τῷ δὲ μεγέθει πολὺ προέχειν τῶν ἄλλων νήσων τῶν ἐν τούτοις τοῖς τόποις· τὸ μὲν γὰρ μῆκος αὐτῆς εἶναι λέγουσι σταδίων τρισχιλίων, τὸ δὲ πλάτος χιλίων.	τό τε μέγεθος τάχα πρὸς ὑπερβολὴν εἴρηται μῆκος μὲν ὅσον τρισχιλίων σταδίων, εὖρος δὲ χιλίων.
§ 3. παρήκειν δὲ τῆς νήσου τὸν περικλυζόμενον πάντα τόπον ἀπὸ μὲν τῆς Λιβύης θῖνας ἔχοντας	περιέχεται δ' ἀπὸ μὲν τῆς Λιβύης θισὶ μεγάλοις, ἀπὸ δὲ τῆς Ἀραβίας κρημνοῖς συνεχέσιν.

[1]) Vogel, Strabons Quellen für das XVII. Buch in Philol. tom. XXXXIII, Ruge l. c. p. 71 ss. Schneider l. c. p. 251 ss. Evers, Ein Beitrag zur Quellenkritik des Diodor.

ἄμμου μέγεθος ἀέριον, ἀπὸ δὲ τῆς Ἀραβίας κρημνοὺς κατερρωγότας. ὑπάρχειν δ᾽ ἐν αὐτῇ καὶ μέταλλα χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου καὶ σιδήρου καὶ χαλκοῦ· πρὸς δὲ τούτοις ἔχειν πλῆθος ἐβένου, λίθων τε πολυτελῶν γένη παντοδαπά.	ἔστι δὲ καὶ χαλκωρυχεῖα καὶ σιδηρουργεῖα καὶ χρυσεῖα καὶ λίθων γένη πολυτελῶν.[1])

Talem verborum totiusque descriptionis consensum neminem spero affirmaturum casu factum esse, immo mea sententia dubitari nequit, quin Diodorus hoc loco aut Artemidorum aut Agatharchidem secutus sit. atque Artemidoro quidem non usum esse Diodorum in Nili descriptione, statim spero te concessurum, si quae Artemidorus profert de Nili cursu fr. 90[2]), comparaveris cum Diodori capite 32, 1—6 et 33, 5—12; ita enim diversi sunt Artemidorus et Diodorus itaque inter se dissentiunt, ut nullo modo alter alterum in describendo Nili cursu adhibuisse possit.[3]) — quibus omnibus bene consideratis non dubito pro certo affirmare, Diodorum et capite 33 et in tota de

[1]) Eosdem locos exscripserunt Schneiderus Symb. Joach. p. 250 et Rugeus l. c. p. 92 93, qui statuit, Diodori capitis 33 paragraphos 3—4 Artemidoro, paragraphos 8—12 Agatharchidi assignandas esse: causas quas protulit ipse legas. unum tantum liceat refutare. Vogel, Strabons Quellen in Philog. t. XXXXIII et Rugeus l. c. saepius provocant ad Diodori verba quae inveniuntur l. III capite 11, se in iis quae antea de Aethiopia et Aegypto disseruisset, Agatharchidem et Artemidorum imprimis secutum esse; quae verba etiam ad Diodori librum primum spectare affirmant viri docti. at falsissima est sententia: τὰ πλεῖστα τῶν προειρημένων (§ 2) sunt prima libri tertii capita.

[2]) Apud Rudolfum Stiehle, Artemidorus von Ephesos, in Philol. t. XI p. 220—221, cf. Rugeum l. c. p. 100—101.

[3]) Noli mirari Artemidorum in sinu Arabico et in Aethiopia describenda Agatharchidem adhibuisse, in Nili cursu eum omisisse. Artemidorus enim etsi libros suos multis narrationibus de populorum indole terrarumque natura ornavit, tamen ubique accuratam terrae descriptionem condere voluit locorumque spatia et intervalla tradere, id quod Agatharchides omnino non curavit. qua de re Artemidorus cum Nili cursum describeret, Eratosthenem sibi ducem elegit, Agatharchidem omisit.

Nilo Aethiopiaque disputatione Agatharchide usum esse. quae sententia ipsis Diodori verbis quodam modo probatur. supra enim vidimus Agatharchidem altero historiarum Asiaticarum libro egisse de Aethiopia, ex libris Asiaticis igitur Diodorus totam de Nilo disputationem sibi sumpsisse debet. jam vero dicit c. 37, 6: τὰς δὲ πηγὰς τοῦ Νείλου καὶ τὸν τόπον, ἐξ οὗ λαμβάνει τὴν ἀρχὴν τοῦ ῥεύματος, ἑορακέναι μὲν μέχρι τῶνδε τῶν ἱστοριῶν γραφομένων οὐδεὶς εἴρηκε κτέ. Diodorus nusquam quod quidem indagare potui bibliothecam suam historias denominavit, ab auctore igitur quem secutus est, hunc operis titulum transcripsit: qua de re αἵδε αἱ ἱστορίαι sunt Agatharchidis Ἀσιατικαὶ ἱστορίαι (v. supra pp. 9—10).

Sed ne quid omittam, videamus, num fortasse alia quoque via probari possit, Diodori libri primi capita 32—36 ex Agatharchide manasse.

De Nili cursu atque incremento post Diodorum et Strabonem primus eorum quidem scriptorum qui aetatem tulerunt accurate egit Seneca nat. quaest. l. IV c. 2, cujus dissertationem plenius quam nunc exstat in Senecae codicibus, servavit Johannes Lydus de mens. IV c. 68. Senecam secutus est Lucanus, qui in Pharsaliae libro decimo inde a v. 194 sacerdotem quendam Aegyptium fingit de Nili origine loquentem, ac tam arte avunculi vestigia pressit, ut saepe ipsius verba reddiderit.[1]) sed etiam alium auctorem adhibuisse videtur Lucanus, quoniam multa quae profert non inveniuntur apud Senecam. quo spectant versus 255—261[2]), v. 289 ss.:

in boream is rectus aquis mediumque booten:
cursus in occasus flexu torquetur et ortus,
nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus harenis.[3])

v. 303 ss.

---

[1]) Ut docuit Hermannus Diels, Seneca und Lucan, Abhandl. der königl. preuss. Akad. v. J. 1885 p. 1 ss.

[2]) Id. p. 15/16.

[3]) Id. p. 21.

Meroë fecunda colonis
laeta comis hebeni, quae quamvis arbore multa
frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra[1]).

Denique Seneca l. c. § 22—23 Thaletis Eythymenisque sententias cum refutat, de etesiis loquitur, qui „litus Aegypticum verberant et contra illos Nilus descendit"; Lucanus de etesiis ita disserit v. 239 ss.:

Zephyros quoque vana vetustas
his adscripsit aquis, quorum stata tempora flatus
continuique dies et in aëra longa potestas:
vel quod ab occiduo pellunt tot nubila caelo
trans Noton et fluvio cogunt impellere nimbos,
vel et qu. sequ.[2]).

Quam mutationem vix puto casu factam esse, cum Diodorus de eadem re disserens dicat l. I c. 39, 6: οὐ βορέαι γὰρ οὐδ' ἀπαρκτίαι μόνοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πνέοντες ἀπὸ θερινῆς δύσεως ἀργέσται κοινωνοῦσι τῆς τῶν ἐτησίων προσηγορίας, quocum cf. Aristid. Aegypt. II 439, 12 et 450, 11 ed. Dind. videtur igitur Lucanus auctorem quem secutus est male intellexisse vel omnino novam quae quod scio non alibi exstat sententiam ab eo petivisse..

Ac Senecam quidem in Nilo describendo Posidonium vel Asclepiodotum Posidoni excerptorem secutum esse, Dielsius probavit l. c. p. 9, Doxogr. p. 19 et 225; eundem Lucanum sequi et veri videtur simillimum esse, et probatur vv. 258 - 261, quibus affirmat solem aqua pasci, quam Stoicorum doctrinam Posidonium non aspernatum esse Macrobius testatur Saturn. I 32, 2, cf Diels, Abhandlungen p. 16. videtur igitur Lucanus et ipse, quae Senecae addidit, Posidonio debere.

Jam vero quaerentibus, quid commercium intercedat inter Diodorum et Senecam ejusque nepotem, occurrunt nonnulli loci, qui valde inter se conspirant. primum legas Senecae verba l. c. § 5: „illic (sc. in cataractis) primum excitatis aquis, quas sine tumultu leni alveo

[1]) Id pp. 20—21.
[2]) Id. pp. 11—13.

duxerat, violentus et torrens per malignos transitus prosilit dissimilis sibi: quippe ad id lutosus et turbidus fluit: at ubi scopulos cautium verberavit, spumat, et illi non ex natura sua, sed ex injuria loci color est", cf. Lucanum X 315 ss. quibus verbis compares quaeso Diodorum l. I c. 32, 7: τηλικαύτην δ' ἔχων ὑπεροχὴν ἐν πᾶσιν ὁ ποταμὸς οὗτος μόνος τῶν ἄλλων ἄνευ βίας καὶ κυματώδους ὁρμῆς τὴν ῥύσιν ποιεῖται, πλὴν ἐν τοῖς καλουμένοις καταράκταις. valde igitur congruit uterque auctor, idque eo magis urgendum, quod Pomponius Mela plane aliter de Nili cursu agit l. I 9, 2 his verbis: „cum diu simplex saevusque descendit, circa Meroën, late patentem insulam, in Aethiopiam diffunditur. . . . inde partim asper, partim navigia patiens in immanem lacum devenit, ex quo praecipiti impetu egressus . . . usque ad Elephantinen . . . atrox adhuc fervensque decurrit". neque aliter Nili cursum descripsit Juba in Plini nat. hist. V 53, qui affirmat Nilum „rapida celeritate" insulas Aethiopicas „transvolare".

Eodem fere modo alius Senecae locus cum Diodoro componi potest. describit enim incolarum audaciam, qua per cataractas quae dicuntur vehant eosque ab aquarum vi „tormenti modo" mitti dicit (l. c. § 6). incolarum audaciam aliter quidem Diodorus narrat, sed paulo ante de Nili aquarum vi locutus his usus est verbis: ἡ καταφορὰ τοῦ ποταμοῦ οὕτως ἐστὶν ὀξεῖα καὶ βίαιος, ὥστε δοκεῖν μηδὲν βέλους διαφέρειν (c. 32, 9): en plane eandem habes apud utrumque scriptorem orationis figuram. — quod contra Seneca paulo post urbes, cum Nilus ripas reliquerit, insularum modo exstare narrat et eodem fere modo Diodorus dicit: ἡ πρόσοψις ὁμοία γίνεται ταῖς Κυκλάσι νήσοις (c. 36, 8), fortasse non magni faciendum est, cum jam Aristoteles sive quisquis librum illum „de inundacione Nili" scripsit, dicat „fitque tantus, ut civitates solae supersint velut insulae" (ap. Valent. Rose, Arist. Pseud. p. 633, 3): alia igitur via progrediendum est.

Nili cursum atque incrementum Strabo quoque describit libro XVII cc. 4—5 inde a pag. 788 usque ad

pag. 790. contendunt viri docti[1]), Strabonem hanc Nili descriptionem composuisse nullo auctore adhibito. at valde dubito, num recta sit virorum doctorum sententia collatis Diodori Strabonisque verbis: sunt enim nonnulla quae quandam similitudinem prae se ferant; conferas quaeso quos adscribam locos:

Strabo XIII c. 4 p. 788:	Diodorus l. I c. 33:
πλευρὰς δὲ τοῦ τριγώνου τὰ σχιζόμενα ἐφ᾽ ἑκάτερα ῥεῖθρα καθήκοντα μέχρι τῆς θαλάττης, τὸ μὲν ἐν δεξιᾷ κτέ.... βάσιν δὲ τὴν παραλίαν τὴν μεταξὺ τοῦ Πηλουσίου καὶ τοῦ Ἡρακλείου.	§ 6. τούτου δὲ τὰς μὲν πλευρὰς καταγράφει τὰ τελευταῖα τῶν ῥευμάτων, τὴν δὲ βάσιν ἀναπληροῖ τὸ δεχόμενον πέλαγος τὰς ἐκβολὰς τοῦ ποταμοῦ.
καὶ καλεῖται Δέλτα διὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ σχήματος.	§ 5. ὁ δ᾽ οὖν Νεῖλος . . . ποιεῖ τὸ καλούμενον ἀπὸ τοῦ σχήματος Δέλτα.
δύο μὲν οὖν ταῦτα τοῦ Νείλου στόματα, ὧν τὸ μὲν Πηλουσιακὸν καλεῖται, τὸ δὲ Κανωβικὸν καὶ Ἡρακλεωτικόν· μεταξὺ δὲ τούτων ἄλλαι πέντε εἰσὶν ἐκβολαὶ αἵγε ἀξιόλογοι, λεπτότεραι δὲ πλείους. ἀπὸ γὰρ τῶν πρώτων μερῶν ἀπορρῶγες πολλαὶ καθ᾽ ὅλην μερισθεῖσαι τὴν νῆσον πολλὰ καὶ ῥεῖθρα καὶ νήσους ἐποίησαν, ὥσθ᾽ ὅλην γενέσθαι πλωτὴν διωρύγων ἐπὶ διώρυξι τμηθεισῶν κτέ.	§ 7. ἐξίησι δ᾽ εἰς τὴν θάλατταν ἑπτὰ στόμασιν, ὧν τὸ μὲν . . . καλεῖται Πηλουσιακόν . . . τελευταῖον Κανωβικόν, ὅ τινες Ἡρακλεωτικὸν ὀνομάζουσιν· ἔστι δὲ καὶ ἕτερα στόματα χειροποίητα, περὶ ὧν οὐδὲν κατεπείγει γράφειν . . . c. 34, 2: ἡ δὲ νῆσος αὕτη πολλαῖς διώρυξι χειροποιήτοις διείληπται, cf. Senecam nat. quaest. IV 2, 12: per septena ostia in mare emittitur . . . multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud litus porrigit.[2])

[1]) Augustus Vogel l. c. et Gualtherus Ruge l. c. p. 83/84.

[2]) Contra duo tantum Nili ostia enumerat Artemidorus fr. 90: ἰστέον δὲ ὅτι δύο στόματα ὁ Νεῖλος ποιεῖ· τὸ μὲν ἓν . . . καλεῖται Κανωβικόν, τὸ δὲ ἕτερον . . . καλεῖται Πηλουσιακόν.

ἐν δὲ ταῖς ἀναβάσεσι τοῦ Νείλου καλύπτεται πᾶσα καὶ πελαγίζει πλὴν τῶν οἰκήσεων· αὗται δ' ἐπὶ λόφων αὐτοφυῶν ἢ χωμάτων ἵδρυνται, πόλεις τε ἀξιόλογοι καὶ κῶμαι νησίζουσαι κατὰ τὴν πόρρωθεν ὄψιν.

c. 36, 8: καὶ τῆς μὲν χώρας οὔσης πεδιάδος, τῶν τε πόλεων καὶ τῶν κωμῶν, ἔτι δὲ τῶν ἀγροικιῶν κειμένων ἐπὶ χειροποιήτων χωμάτων, ἡ πρόσοψις ὁμοία γίνεται ταῖς Κυκλάσι νήσοις, cf. Senecam l. c. § 11: latent campi opertaeque sunt valles. oppida insularum modo exstant.

c. 5 p. 790 init.: καὶ δὴ καὶ τοὔνομα τῇ νήσῳ καὶ τῇ πόλει (sc. τῇ Μερόῃ) τοῦτο παρ' ἐκείνου (sc. τοῦ Καμβύσου) τεθῆναί φασιν, ἐκεῖ τῆς ἀδελφῆς ἀποθανούσης αὐτῷ Μερόης. οἱ δὲ γυναῖκά φασιν.

c. 33, 1 ... τὴν ὀνομαζομένην Μερόην (sc. νῆσον), ἐν ᾗ καὶ πόλις ἐστὶν ἀξιόλογος ὁμώνυμος τῇ νήσῳ, κτίσαντος αὐτὴν Καμβύσου καὶ θεμένου τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μερόης.[1]

Quibus locis comparatis evincitur mea quidem sententia, Strabonem ad Nilum describendum adhibuisse alium quendam auctorem. qui quis sit, certissime videtur erui posse. Senecae locis quos adscripsi apparet, esse quandam inter Strabonem et Senecam similitudinem; sponte igitur nascitur suspicio Posidonium fuisse Strabonis auctorem, quippe quem saepissime in componendis geographicis adhibuerit. accedit quod paulo post eundem Posidoni locum tetigit Strabo, quem Seneca exscripsit, ut docet Lydus de mensibus l. IV c. 68 p. 114, conferas quaeso Hermannum Diels l. c. p. 9. neque praetereundum, quod § 5 init. afferuntur Platonis verba, quem valde veneratus est Posidonius. vide quos Galeni locos affert Zeller III[3] 1 p. 578. denique Lucanus libro X inde a versu 272 narrat, frustra Alexandrum legatos misisse ad Nili fontes explorandos frustraque Sesostrim et Cambysem Aethiopiam

[1]) Vox μητρὸς corrupta est, vide Josephi Antiqu. Jud. II 10, qui et ipse sororem eam nominat. ἀδελφῆς ὁμομητρίας scribendum jubet Eduardus Schwartz.

perquisivisse. Lucanum scientiam suam Posidonio debere, sive Senecam exscriberet sive ipsum Posidonium vel potius Asclepiodotum inspiceret, supra vidimus; quare cum Strabo quoque miretur Sesostrim et Cambysem, quamquam ad extremos paene Aethiopiae fines pervenerint, omnino nil profecisse ad Nili fontes cognoscendos, haud dubie et in capite quinto et in tota Nili descriptione Posidonium secutus est. [1])

Sed jam ad id, unde egressi sumus, revertamur. in Nili descriptione, qualem Strabo e Posidonio mutuatus est, complures reperti sunt loci, qui valde conspirant cum Diodoro, vide quos supra adnotavi. denique apud Lucanum nonnulla inveniuntur, quae cum Diodoro componi possint, cf. versus supra exscriptos 303 ss.:

Meroë fecunda colonis
laeta comis ebeni, quae quamvis arbore multa
frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra.

Quibus cum verbis conferas Diodorum l. I c. 33, 2: ἔχειν δ' αὐτὴν (sc. τὴν Μερόην) καὶ πόλεις οὐκ ὀλίγας, ὧν ἐπιφανεστάτην ὑπάρχειν τὴν Μερόην et § 3: πρὸς δὲ τούτοις ἔχειν πλῆθος ἐβένου. [2]) iterum conferas Lucani vv. 290—291:

cursus in occasus flexu torquetur et ortus,
nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus harenis

et Diodori l. I c. 32, 5: . . . οὐκ ἐπ' εὐθείας φερόμενος, ἀλλὰ καμπὰς παντοίας ποιούμενος· ποτὲ μὲν γὰρ ἑλίττεται πρὸς τὴν ἕω, ποτὲ δὲ πρὸς τὴν ἑσπέραν, ἔστι δ' ὅτε πρὸς τὴν μεσημβρίαν, εἰς τοὐπίσω λαμβάνων τὴν παλλίρροιαν (vide Dielsium p. 21).

Omnibus his exemplis e Seneca Strabone Lucano allatis evincitur Posidonium non ignorasse auctorem quem Diodorus l. I cc. 32—36 adhibuit. accedit alterum. notos fuisse Posidonio Agatharchidis libros, quin etiam Posidonium fuisse aemulum Agatharchidis, etiamnunc facillime probari potest. libri quinti enim capitibus 35—38 decribit

---

[1]) Cf. Hermanni Diels dissertationem in Abhandlungen etc.

[2]) Non neglegenda sunt Artemidori verba, qui haud dubie Agatharchidis libros Asiaticos sequebatur: πλεονάζει δὲ τῶν φυτῶν ὅ τε φοῖνιξ καὶ ἡ περσέα καὶ ὁ ἔβενος καὶ ἡ κερατία, p. 822 ap. Strab.

Diodorus Hispaniae metalla, Posidoni vestigia secutus, ut cognoscitur ex iis quae Strabo disserit p. 147.[1]) quo loco fingit Diodorus extremas hominum qui aurum argentumque effodiebant aerumnas (c. 38, 1) plane eodem modo ac l. III c. 12, 2—3 eorum qui in Aegypti aurifodinis versabantur labores descripsit, confer etiam Diod. III c. 12, 6 fin., Agath. c. 25 fin., c. 26 fin.[2]) cum igitur priore loco Agatharchidis verba redderet Diodorus, necesse est Posidonium tantum non ipsa Agatharchidis verba usurpasse.[3])

---

[1]) Cf. Müllenhoff, Deutsche Altertumskunde II p. 303—321.

[2]) Etiam aliis locis videtur Posidonius Agatharchidem imitari, conferas:

Posid. ap. Diod. l. V 36, 4: οὗτοι . . . ἐρευνῶσι . . . τὰς πλάκας τῆς γῆς· καταβαίνοντές τε οὐ μόνον εἰς μῆκος, ἀλλὰ καὶ εἰς βάθος παρεκτείνοντες ἐπὶ πολλοὺς σταδίους τὰ ὀρύγματα, καὶ πλαγίας καὶ σκολιὰς διαδύσεις ποικίλως μεταλλουργοῦντες.

Agatharch. c. 25 p. 125, 13 Müll.: τέμνουσι διὰ τῆς πέτρας ὑπονόμους πλείονας, οὐκ εὐθεῖς, ἄλλοτε μὲν ἄνω τῆς χρυσίτιδος ἀπονευούσης λίθου, ποτὲ δὲ κατωτέρω, πάλιν δὲ εἰς τὴν εὐώνυμον κλίσιν, ἐνίοτε δὲ σκολιὰν καὶ διεστραμμένην καὶ παραπλησίαν ταῖς τῶν δένδρων ῥίζαις.

Diodorus V 27, 2: ἀλήθουσι [ἢ συγκόπτουσι] τὰς ἐχούσας τὸ ψῆγμα βώλους, διὰ δὲ τῶν ὑδάτων τῆς φύσεως τὸ γεῶδες πλύναντες παραδιδόασιν ἐν ταῖς καμίνοις εἰς τὴν χωνείαν.

Confer Agatharchidem p. 126, 16; 127, 15; 128, 8 apud Müllerum.

[3]) Fortasse in hac ipsa metallorum descriptione utitur Posidonius Diodori auctore. dicit enim apud Diodorum l. V c. 37, 3: ἀπαρύτουσι τὰς ῥύσεις τῶν ὑδάτων τοῖς Αἰγυπτιακοῖς λεγομένοις κοχλίαις, οὓς Ἀρχιμήδης ὁ Συρακόσιος εὗρεν, ὅτε παρέβαλεν εἰς Αἴγυπτον. quocum conferas Diodorum I 34, 2: τῶν δ᾽ ἀνθρώπων ῥαδίως ἅπασαν ἀρδευόντων διά τινος μηχανῆς, ἣν ἐπενόησε μὲν Ἀρχιμήδης ὁ Συρακόσιος, ὀνομάζεται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος κοχλίας. cochleae saepius commemorantur, ut a Strabone p. 807 init. et p. 819 init.; accuratissime describuntur a Vitruvio l. X c. 6. Aegyptias autem eas appellatas esse, nusquam inveni nisi apud Posidonium. neque rectum esse puto, quod affirmavit, quoniam jam ante bellum Hannibalicum Syracusis iis utebantur, ut testatur Moschion ap. Athen. p. 208 s. fortasse igitur conjecturam proferre licet, Posidonium haec a Diodori auctore sumpsisse, sed falso intellexisse.

Jam vero ut quae adhuc disputavi, ad certum quendam finem perducam, sic nos concludere posse puto: scripsit Agatharchides de Nilo, Agatharchidis libros nonnumquam ita excerpsere Posidonius Diodorusque, ut tantum non ipsius verba reddiderint; qua de re, cum uterque scriptor ad Nilum describendum eodem auctore etsi diversum in modum usus sit, veri videtur simillimum esse, et Posidonium et Diodorum in Nili descriptione Agatharchidem secutos esse. quod haud scio an alio modo probari possit. Strabonem pp. 788—790 Posidonium adhibuisse, supra exponere conatus sum Dielsium secutus. c. 1 paragraphi quintae autem initium (p. 789) Agatharchidem redolere videtur. dicit Strabo: οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι στοχασμῷ τὸ πλέον, οἱ δ' ὕστερον αὐτόπται γενηθέντες ᾔσθοντο ὑπὸ ὄμβρων θερινῶν πληρούμενον τὸν Νεῖλον; quibus verbis compares Agatharchidem ap. Diod. I 37, 5 et 41, 5. quae deinde de Ptolemaeo Philadelpho profert Strabo, valde congruunt cum Phylarchi fragmento 40, v. F. H. G. I p. 345; Phylarchum vero adhibuit Agatharchides, ut evincitur Athenaei l. XII p. 539, cf. Agath. fr. 18 in F. H. G. III p. 196, ut veri videatur non dissimile Posidonium talia ex Agatharchide sibi desumere potuisse, collatis Diodori l. III capitibus 36 et 37. neque quod Strabo dicit eos quos reges Aegyptii emisissent ad sinum Arabicum explorandum, imprimis Nili incrementi causas cognovisse, pugnat cum Diodori l. I c. 37, 5: contra quod dicit viros emissos esse vel ad elephantorum venationes vel propter aliam rationem, optime quadrat ad Agatharchidem, ut vel inde cognoscere licet, quod Diodorus l. III c. 41, 1 Agatharchidem verbo tenus secutus dicit: ἀπὸ δὲ τούτων τῶν τόπων τὸν μὲν ἀπὸ Πτολεμαΐδος παράπλουν ἕως τῶν Ταύρων ἀκρωτηρίων προειρήκαμεν, ὅτε Πτολεμαίου τὴν τῶν ἐλεφάντων θήραν ἀπηγγείλαμεν. sic iterum quodammodo probatur fuisse Agatharchidem Posidoni auctorem, quem etiam Diodorus secutus sit oportet.

Hac quaestione absoluta redeamus ad prima Diodorei libri tertii capita. supra vidimus, quae Diodorus narrat

cc. 6—10 de Aethiopum institutis vitaeque condicionibus, Agatharchidi deberi, sive ipsum Agatharchidem sive Artemidorum exscripsit. sed videamus, num accurate cognosci possit, utrum secutus sit Diodorus. supra demonstratum est, l. III capita 6—10 artissime cohaerere cum l. I capite 33, cum quae Diodorus duobus locis tradat, Artemidorus sub uno conspectu collata referat apud Strabonem pp. 821—823. qua re cum libro primo Agatharchidem exscripserit, libro tertio haud dubie eundem scriptorem secutus est.[1])

Nec vero videbor hanc quaestionem ad liquidum perduxisse, nisi quas adhuc viri docti sententias de his capitibus pronuntiaverunt, irritas esse demonstravero. Müllerus enim l. c. p. 119 adnotat: „ipsa Diodori narratio subindicat libri III capita 2—10 non ex eodem scripto petita esse ex quo fluxerunt cc. 20—48; nam quos Diodorus populos c. 8 paucis recenset, illi ipsi sunt, quos fusius describit c. 23 ss., et tamen ita (c. 11, 14) loquitur, quasi inde a cap. 12 ad aliam prorsus populorum seriem se convertat.

[1]) Fortasse etiam aliis argumentis probare possumus Agatharchidem, non Artemidorum fuisse Diodori auctorem. primum nusquam nisi l. III c. 11 Artemidori geographica commemorantur neque ullo loco Diodorus ea adhibuisse videtur: nullo enim jure contendit Schneiderus in dissertatione p. 56 Arabiae descriptionem, quae invenitur l. II c. 48—54, ex Artemidoro petitam esse. contra Agatharchidem iis quae statim sequuntur capitibus 12—48 et in libro primo tam arte secutus est, ut ejus libros in suum tantum dicendi genus traduxerit. neque neglegendum esse puto Strabonem plane alio ac Diodorum ordine res Aethiopicas recensuisse. in sinus Arabici descriptione enim Artemidorus, quae apud Agatharchidem invenerat, suum in usum mutavit et plane alio ordine auctorem reddidit, Diodorus auctoris ordinem servavit: neque enim qua erat animi stupiditate res collectas in alium ordinem redigere audebat; dilacerare, non conjungere valuit. eodem modo eum hoc quoque loco auctorem secutum esse pro certo affirmaverim. contra quae Strabonem commovere potuerint, ut Artemidori narrationes alio ordine proferret, non video, quoniam quae antea de Aethiopia narraverat, ex eodem auctore sumpserat, immo etiam quae neglegentius proferebat Artemidorus, secure ino gegraphica sua transtulit.

quae quidem res facile explicatur, si novum fontem inde a capite 12 adhibitum esse statuimus." — Müllerum secutus Schneiderus Symb. Joach. I 241 ss. statuit Artemidorum fuisse Diodori auctorem. — rectissime judicant viri docti, quos Diodorus c. 8 enumerat populos eosdem esse ac quos c. 23 ss. recensuit, etsi ipse se diversos populos describere putat. si vero contendunt hoc fieri non potuisse nisi novum auctorem inde a cap. 12 adiisset, nego recte eos judicasse: omnino enim neglexerunt c. 12 ss. Diodorum Agatharchidis libros geographicos inspexisse, contra quae antea proposuit, in libris Asiaticis exstitisse. iterum provoco ad Diodori verba l. III c. 11: Ἀγαθαρχίδης μὲν γὰρ ὁ Κνίδιος ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν καὶ . . . Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἐφέσιος . . . ἱστορηκότες τὰ πλεῖστα τῶν προειρημένων ἐν πᾶσι σχεδὸν ἐπιτυγχάνουσι. his verbis probatur, id quod quam maxime urgendum est, Agatharchidem et Artemidorum idem narrasse de Aethiopibus vel potius Artemidorum in hac Aethiopiae descriptione Agatharchidis libros Asiaticos secutum esse, sicut in sinu Arabico describendo ejusdem auctoris libros geographicos exscripsit. quin Artemidorus et ipse in eundem errorem incidit ac Diodorus; p. 821 enim narrat: ἔνιοι δὲ καὶ πόαν σιτοῦνται καὶ κλῶνας ἁπαλοὺς καὶ λωτὸν καὶ καλάμου ῥίζαν· κρέασι δὲ χρῶνται καὶ αἵματι καὶ γάλακτι καὶ τυρῷ. quae omnia, dummodo Creophagos excipias, jam pag. 771 initio exposuit, contra de Creophagis paulo post eadem pagina et p. 775 fin. p. 776 init. locutus est: utroque loco iidem populi quin recenseantur dubitari nequit. — angues Aethiopicos elephantos taurosque superare, p. 775 docuit Agatharchidem secutus, idem breviter attigit p. 822 his verbis: εἰσὶ δὲ καὶ δράκοντες οἱ ἐλεφαντομάχοι καὶ ἄλλα θηρία πλείω — p. 774 dixit πληθύει δ' ἐλέφασιν ἡ χώρα καὶ λέουσι τοῖς καλουμένοις μύρμηξιν . . . φέρει δὲ καὶ παρδάλεις ἀλκίμους κτέ, quibuscum conferas p. 822: θήρα δὲ καὶ ἐλεφάντων ἐστὶ καὶ λεόντων καὶ παρδάλεων. quod denique p. 822 dixit: καταφεύγει γὰρ ἀπὸ τῶν ἐμπυροτέρων καὶ αὐχμηροτέρων ἐπὶ τὰ ὑδρηλὰ καὶ ἑλώδη, congruit cum iis quae p. 771 § 9 init. narravit, confer Agatharchidem c. 50 (Diod. III 23, 2).

quibus omnibus perspicuum est, Artemidorum et ipsum uno eodemque libro peripli sui bis de iisdem populis ut diversis egisse. atque eo facilius error nasci poterat, quo obscurius egerat Agatharchides de regionibus, quas habitabant singuli Aethiopes, quoque magis diversas narrationes de iisdem populis bestiisque protulerat, cf. Diod. III c. 10, 5—6 et c. 37, 9. uterque igitur scriptor quas priore quasque posteriore loco gentes Aethiopicas recensebant, modo Agatharchidis libros geographicos, modo libros Asiaticos secuti, diversas esse putaverunt, itaque factum est, ut Diodorus, quos posteriore loco descripsit Aethiopas, eorum fines, ne cum antecedentibus confundantur, sibi accuratius definiendos putarit. sic enim loquitur: περὶ μὲν οὖν Αἰθιόπων τῶν πρὸς τῇ δύσει κατοικούντων ἀρκεσθησόμεθα τοῖς ῥηθεῖσιν, περὶ δὲ τῶν κατὰ τὴν μεσημβρίαν καὶ τὴν Ἐρυθρὰν θάλατταν κειμένων ἐν μέρει διέξιμεν (c. 11, 4) et περὶ δὲ τῶν ἐθνῶν [τούτων] τῶν κατοικούντων . . . Αἰθιοπίαν τὴν πρὸς μεσημβρίαν καὶ νότον πειρασόμεθα διεξιέναι (c. 14,6).

Videor mihi iis, quae modo disputavi, satis superque probasse Diodorum l. III cc. 6—10 Agatharchidem secutum esse. cum capite sexto artissime cohaerent, quae capite 5 narrantur, quare et ipsum Agatharchidi assignandum est. contra quae cc. 2—4 traduntur, aliunde sumpta sunt; his enim capitibus probare studet Diodorus, Aethiopas antiquiores esse Aegyptiis suaque instituta et mores illis tradidisse: at de talibus fabulis nihil dicitur cc. 5—10. — c. 2, 3 Homerus nominatur testis, Aethiopas imprimis deis caros esse; c. 3, 1 narratur Herculem et Dionysium solos Aethiopas aggredi non ausos esse. cc. 2—4 igitur fabulae superstitiosae proferuntur, cc. 5—10 populorum instituta, mores vivendique rationes, ut plane aliam indolem exhibeant priora capita ac posteriora. quare Agatharchidem haec capita scribere non potuisse omnes libenter concedent, qui vel cursim ipsius verba legerint, quae inveniuntur apud Photium cc. 7—8 Müll., ubi acerbissime vituperat Diniam aliosque scriptores, quippe

fabulas, non historiam narrantes. contra quae tradidit de populis Aethiopicis cc. 5—10, etsi mira videntur, tamen fortasse non abhorrere a veritate, docent quae a Saraceno Osman Bey se audivisse affirmat Lepsius, Briefe aus Aethiopien und Aegypten p. 212.[1])

---

[1]) Argumentis modo prolatis, quibus commotus nego capita 2—4 ex Agatharchide desumpta esse, novum idque gravissimum adici potest, etsi non ex Agatharchidis indole petitum. in Diod. l. I. c. 33 enim paragrapho prima narrat Agatharchides Cambysem Meroën urbem condidisse atque urbi nomen dedisse, cf c. 34, 7; contra l. III c. 3, 1 narratur Cambysem, cum Aethiopibus bellum intulisset, totum exercitum perdidisse. — eadem de causa nego ex Artemidoro haec capita petita esse. Artemidorus enim et ipse apud Strabonem p. 821 de Meroë urbe agit Agatharchidem secutus, vide supra p. 28 ss., neque, etsi apud Strabonem quidem non tradit Meroën a Cambyse conditam esse, dubitari potest, quin totam Agatharchidis narrationem sibi usurpaverit. quemnam igitur auctorem secutus sit Diodorus cc. 2—4, adhuc dubium est.

Liceat hoc loco breviter nonnullas virorum doctorum sententias recensere. Schneiderus l. c. p. 245 probare studet, cc. 2—10 ab uno eodemque auctore petita esse, ostendit vero nihil nisi et cc. 2—4 et cc. 5—10 inter se cohaerere. — cc. 2—10 ex Artemidoro sumpta esse Vogel censet l. c. iisdem quibus Müllerus causis. Ruge Quaest. Strab. p. 85 s. c. 8, 1—3 Agatharchidi, cetera quae inveniuntur capitibus 6—10 Artemidoro assignat, quia c. III, 8, 1 adversetur c. 10, 1: primo loco enim narrari aliam gentem Aethiopum Nili ripas habitare, aliam ad occasum, aliam ad orientem sedes habere, contra III 10, 1 Libyas et Aethiopas certare de Nili ripis; locos adscribam:

Diod. III 8, 1:	Diodor. III 10, 1:
ἔστι δὲ καὶ ἄλλα γένη τῶν Αἰθιόπων παμπληθῆ, τὰ μὲν ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν τὴν παραποτάμιον τοῦ Νείλου κατοικοῦντα καὶ τὰς ἐν τῷ ποταμῷ νήσους, τὰ δὲ τὴν ὅμορον τῆς Ἀραβίας νεμόμενα, τὰ δ᾽ ἐν τοῖς μεσογείοις τῆς Λιβύης καθιδρυμένα.	τῆς δὲ παρὰ τὸν Νεῖλον χώρας τῆς ἐν τῇ Λιβύῃ κειμένης ἐστί τι μέρος τῷ κάλλει διαφέρον· τροφάς τε γὰρ φέρει δαψιλεῖς καὶ ποικίλας, καὶ πρὸς τὰς τῶν καυμάτων ὑπερβολὰς ἔχει βοηθείας εὐθέτους τὰς ἐν τοῖς ἕλεσι καταφυγάς· διὸ καὶ περιμάχητος οὗτος ὁ τόπος γίνεται τοῖς τε Λίβυσι καὶ τοῖς Αἰθίοψι, καὶ πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ αὐτοῦ πολεμοῦντες διατελοῦσιν.

verba ἐστί τι μέρος τῷ κάλλει διαφέρον et διὸ καὶ περιμάχητος οὗτος ὁ τόπος κτέ. satis docent, e scriptoris sententia unum hunc locum propter virtutes suas non certos habere possessores, nil igitur restat discrepantiae.

Totus igitur Diodori liber tertius inde a cap. 5 usque ad cap. 48 ex Agatharchide desumptus est. inde a cap. 52 Amazonum Africarum Gorgonum Atlantiorum Bacchi res gestas enarrat, Dionysium Scytobrachionem imprimis secutus. capitibus 49—51 agitur de gentibus quibusdam Libycis, quae ex Agatharchide sumpta esse Schneiderus suspicatur in dissertatione p. 61, nullis causis allatis.[1]) quamquam libentissime huic sententiae adstipulor, etsi certis argumentis probari nequit. quod enim Diodorus in descriptione Libyum iisdem saepe verbis utitur, quae Agatharchides usurpare solitus est, ut βίον οὐ παντελῶς ἄγριον οὐδ' ἀνθρωπίνης ἡμερότητος ἐξηλλαγμένον (49, 2); πάντες οἱ Λίβυες οὗτοι θηριώδη βίον ἔχουσι (49. 3); ἐφ' ὅσον δὲ σπανίζει τῶν πρὸς ἥμερον βίον ἀνηκόντων (50, 2), non urgendum esse puto. majoris certe momenti est, quod c. 51 § 1 dicit πειρῶνταί τινες τῶν φυσικῶν αἰτίας ἀποδιδόναι, quocum congruit Diodorus l. III c. 20, 3: καθάπερ ἔνιοι τῶν φυσιολογουμένων ἀπεφήναντο (Photius c. 46: ὃν τρόπον ἔνιοι τῶν καλουμένων ὡρίσαντο φυσικῶν). c. 50, 4 ss. narrantur mirae quaedam aëris figurae, quas physici illi quomodo existant explicare conantur. quibuscum conferri potest Artemidorus ap. Strab. p. 829: ἐν δὲ τοῖς ἑσπερίοις Αἰθίοψι ταῖς τε ὀρθριναῖς ὥραις καὶ ταῖς δειλιναῖς παχεῖς καὶ ἀχλυώδεις εἶναι τοὺς ἀέρας, quam sententiam ita refellit Strabo: πῶς γὰρ ἐν αὐχμώδεσι καὶ καυματηροῖς τόποις ταῦτ' εἶναι; nec vero certius quidquam ex his potest concludi. neque quod Plinius nat. hist. VII 14 testatur Agatharchidem de Nasamonibus, qui apud Diodorum c. 49, 1 commemorantur, egisse, multum valet ad quaestionem dijudicandam. quare veri quidem videtur

---

[1]) Dicit quidem vir doctus: „atque Diodorus sic transducit orationem ad Libyes 49, 1: τούτων δ' ἡμῖν διευκρινημένων οἰκεῖον ἂν εἴη, διελθεῖν περὶ τῶν Λιβύων κτέ.; tali transgressionis formula Diodorum se ad alium auctorem non convertere, evidens est ex 38, 1: διευκρινηκότες δ' ἀρκούντως κτέ. nam quae antecedunt et succedunt, ex uno Agatharchide hausta sunt.“ at haec nihili sunt; c. 52 enim ad Amazonas progrediens ita loquitur Diodorus: τούτων δ' ἡμῖν διευκρινημένων οἰκεῖον ἂν εἴη κτέ.

simile esse haec capita Agatharchidi deberi, certa autem argumenta adhuc non sunt allata.

Ex Agatharchidis libris Asiaticis desumpsit Diodorus, quae de Nilo disputavit libro primo et quae de Aethiopibus protulit libro tertio cc. 5—10: iisdem libris, ni omnia me fallunt, etiam alia bibliothecae parte usus est, dico Arabiae descriptionem quam exhibet libro altero capitibus 48—54. spero me sequentibus sententiam meam probaturum esse.

Primo loco conferamus struthocameli descriptionem, quam l. II c. 50 praebet Diodorus, cum Agatharchidis ejusdem avis descriptione ap. Diod. III c. 28, 2—5, Phot. c. 57. pauca tamen praemonenda sunt. Agatharchides in libris de mari erythraeo hujus avis nomen omnino non nominasse videtur, cum neque Photius neque Diodorus nomen struthocameli dent et Artemidorus ap. Strab. p. 772 dicat, illas aves velociter currere καθάπερ τοὺς στρουθοκαμήλους, quod nihili est: valde vereor ne haec verba glossema sint. sed quamquam non ipsum avis nomen dedit Agatharchides, dubitari nequit, quin et avem descripserit et struthocameli nomen ei bene notum fuerit, ut probat Diodorus his verbis l. III c. 28, 2: ἔστι γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς ὀρνέου γένος μεμιγμένην ἔχον τὴν φύσιν τῷ χερσαίῳ ζῴῳ, δι᾽ ἣν τῆς συνθέτου τέτευχε προσηγορίας. jam quaeso conferas:

Diodor. II 50:	Agath. ap. Diod. III 28:
μακροτράχηλον δ᾽ ὑπάρχον (§ 4).	τὸν δ᾽ αὐχένα μακρὸν ἔχον (§ 2).
δυσὶ σκέλεσι στηριζόμενον καὶ ποσὶ διχήλοις (§ 4).	μηροῖς δὲ καὶ κώλοις ὑπάρχει καρτερώτατον, διχήλου τῆς βάσεως οὔσης (§ 2).
διὰ δὲ τὸ βάρος οὐ δυνάμενον ἐξᾶραι καὶ πέτεσθαι, κατὰ τῆς γῆς ὠκέως ἀκροβατεῖ (§ 5).	τοῦτο πέτεσθαι μὲν μετέωρον οὐ δύναται διὰ τὸ βάρος, τρέχει δὲ πάντων ὠκύτατον, μικρὸν ἄκροις τοῖς ποσὶ τῆς γῆς ἐπιψαῦον (§ 3).
διωκόμενον ὑπὸ τῶν ἱππέων τοῖς ποσὶ τοὺς ὑποπίπτοντας λίθους οὕτως εὐτόνως ἀποσφενδονᾷ πρὸς τοὺς διώκοντας, ὥστε . . .	τοὺς δὲ διώκοντας ἀμύνεται διὰ τῶν ποδῶν ἀποσφενδονῶν παραδόξως λίθους χειροπληθιαίουσ (§ 3).

si prope est ut capiatur, caput abscondit, διὰ τὸ τοῦ σώματος ἔχειν τοῦτο τὸ μέρος ἀσθενέστατον (§ 6).	κεφάλιον μὲν ἀσθενὲς ἔχει καὶ μικρόν (§ 2).

Simillima igitur est struthionis descriptio in secundo et in tertio libro.

Sequitur in Diodori libro altero camelopardalis descriptio, quae librariorum culpa corrupta est. dicit enim Diodorus (II 51, 1): τῷ μὲν γὰρ μεγέθει μικρότεραι τῶν καμήλων εἰσὶ καὶ βραχυτραχηλότεραι, τὴν δὲ κεφαλὴν καὶ τὴν τῶν ὀμμάτων διάθεσιν παρδάλει παρεμφερεῖς διατετύπωνται. insunt quae tolerari non possint. primum enim neque minorem corporis magnitudinem habet camelo et collo longissimo est, ut bene norant antiqui, cf. Oppiani Cynegetica III 468 et Strabonem p. 775, qui offendit in camelopardalis descriptione Agatharchidea qualem exhibuit Artemidorus. accedit quod totius sententiae forma postulat, ut, sicut capitis oculorumque habitus pardali similis dicitur, ita corporis magnitudo et colli longitudo camelo non postponatur; eodem enim modo paulo post Diodorus camelopardalis dorsi gibbum cum camelo, colorem pilum caudam cum pardale componit; denique si Diodori verba genuina essent, nihil camelopardali commune esset cum camelo nisi dorsi gibbus: dorsi vero similitudo sola certe non efficere poterat, ut animal tale nomen acciperet. fortasse igitur scribendum est: τῷ μὲν γὰρ μεγέθει ⟨πάνυ ὀλίγῳ⟩ μικρότεραί εἰσι καὶ βραχυτραχηλότεραι.[1]) jam conferentibus Agatharchidis verba cum Diodoro, c. 72 apud Photium: καμηλοπάρδαλις, σύνθετον τρόπον τινὰ κατὰ τὴν κλῆσιν καὶ τὴν φύσιν λαχοῦσα· τὴν μὲν γὰρ ποικιλίαν ἔχει παρδάλεως, τὸ μέγεθος δὲ καμήλου, τὸ πάχος δὲ ὑπερφυές, τὸν δὲ αὐχένα τοιοῦτον, ὥστε ἀπ' ἄκρων ἀμέλγεσθαι τῶν δένδρων τὴν φύσιν, statim apparet, quantam similitudinem Diodori descriptio et Agatharchidea exhibeant.

Denique videamus Diodorum de auro, quod in Arabia inveniri putabatur, plane eodem atque Agatharchidem modo referre, vide

[1]) Ut locum restituit Eduardus Schwartz.

Diodor. II 50, 1:
μεταλλεύεται δὲ κατὰ τὴν Ἀραβίαν καὶ ὁ προσαγορευόμενος ἄπυρος χρυσός. οὐχ ὥσπερ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐκ ψηγμάτων καθεψόμενος, ἀλλ' εὐθὺς ὀρυττόμενος εὑρίσκεται, τὸ μέγεθος καρύοις κασταναϊκοῖς παραπλήσιος.

Agath. ap. Phot. c. 96:
τὸν μέντοι χρυσὸν ὀρύσσοντες ἐν τοῖς πλακώδεσι τῆς χώρας ὑπονόμοις εὑρίσκουσι πολύν, οὐ τὸν συντηκόμενον μετ' ἐπιστήμης καὶ τέχνης ἐκ τοῦ ψήγματος, ἀλλὰ τὸν αὐτόματον, καλούμενον δὲ διὰ τὸ συμβαῖνον παρ' Ἕλλησι ἄπυρον. οὗ τὸ μὲν ἐλάχιστον ἔχει μέγεθος πυρῆνος, τὸ δὲ μέσον μεσπίλου, τὸ δὲ μέγιστον ὥστε βασιλικοῖς παραβάλλεσθαι καρύοις, cf. Diod. III 45, 7.

plane idem igitur fere iisdem verbis uterque scriptor refert de auro in Arabia invento deque ejus magnitudine.

Alia accedunt. quod καμηλοπάρδαλις nominatur animal, ignotum fuisse videtur antiquioribus Graecis, neque Ptolemaeorum aetate admodum frequens erat, siquidem in pompa celeberrima, quam instituit Ptolemaeus Philadelphus, una tantum camelopardalis prodibat, ut Callixenus testatur ap. Athen. p. 201 C. idem omnium scriptorum qui aetatem tulerunt primus nomen camelopardalis exhibere videtur, neque postea saepe commemoratur animal, immo usque ad Diodori tempora vocabulum nusquam inveni nisi Deuteron. 14, 5 et in Agatharchidis libris geographicis.[1])

Idem fere dicendum de vocabulo στρουθοκάμηλος. etsi enim jam Aristophanis temporibus bene notum erat animal, tamen nomen, quod praebet Diodorus l. c., multo postea demum usurpatum est ab auctoribus Graecis, ut testatur Galenus de alimentis III 20: τὸ τῶν στρουθοκαμήλων (sc. ὄνομα) ἄηθες· ὀνομάζουσι γὰρ αὐτὰς μεγάλας στρούθους, et

[1]) Camelopardales quam rarae fuerint antiquis temporibus, Dio Cassius demonstrat, cum l. 43 c. 23 narrat Caesarem primum an. 708 a. u. camelopardales Romam duxisse; conferas etiam Horatium epist. II, I 195.

idem de aliment. succ. c. 6: ἐν ταῖς μεγάλαις στρούθοις, ἃς νῦν ὀνομάζουσι στρουθοκαμήλους. ac veram esse Galeni sententiam inde evincitur, quod nusquam scriptores graeci qui quidem aetatem tulerunt vocabulum usurpasse videntur ante Strabonis tempora nisi Agatharchides et Diodorus: quin etiam Strabonis verba, si genuina sunt, ad Agatharchidem spectant. non multo quidem postea saepius usurpatur, ut a Petronio Plinio Oppiano.[1])

Quod denique Diodorus auri magnitudinem, quod Arabes inveniunt, comparat castanaicae nuci c. 50, 1: τὸ μέγεθος καρύοις κασταναϊκοῖς παραπλήσιος, valde inusitatum est. Theophrastus quidem de loti radice cum disserit, dicit: φλοιὸς δὲ περίκειται περὶ αὐτὴν μέλας, ἐμφερὴς κασταναϊκῷ καρύῳ[2]). et eodem fere modo Nicander in Alex. v. 269 dicit καστηνοῦ καρύοιο παχυφλοίοιο κάλυμμα, cf. etiam v. 271. quin Diodorus et ipse iterum his vocabulis usus est libro tertio c. 19, 3 fin.: τὸν δὲ καρπὸν ὅμοιον ἔχουσαι (sc. αἱ ἐλαῖαι) τῷ κασταναϊκῷ καρύῳ: at desumpta sunt ex Agatharchide eodem modo dicente: τὴν δὲ τοιαύτην ἐλαίαν φέρειν φησὶ κασταναϊκῷ καρύῳ προσεμφερῆ. c. 43 p. 137, 2 Müll. praeter hos quos attuli locos nusquam quod quidem invenire potui usurparunt scriptores Graeci horum verborum conjunctionem.

Vidimus igitur, camelopardalis struthocameli auri apyri descriptiones, quales exhibent Diodorus et Agatharchides, simillimas esse; camelopardalis nomen ante Diodori tempora praeter Callixenum et unum Deuteronomii locum solum Agatharchidem usurpare; nomine struthocameli ante Diodorum nullum scriptorem usum esse nisi Agatharchidem; denique vocabula κασταναϊκὸν κάρυον praeter Theophrastum et Nicandrum solum Diodorum usurpare duobus locis, quorum alter ex Agatharchide, cujus verba exstant apud Photium, desumptus est. quae cum ita sint, non dubito affirmare, aut Aga-

---

[1]) Cf. Bochart. Hieroz. II p. 815–817.
[2]) De causis plant. IV 8, 11.

tharchidem et Diodorum iis quos modo exscripsi locis uno eodemque auctore usos esse, aut Diodorum in Arabiae descriptione, quae in altero bibliothecae libro exstat, Agatharchidis libros Asiaticos secutum esse. jam vero probasse mihi videor, saepius Diodorum Agatharchidis libris Asiaticis usum esse, ut veri videatur simile esse etiam hoc loco fuisse Agatharchidem Diodori auctorem: et sane nonnulla insunt in Diodori Arabiae descriptione, quae Agatharchidis indolem scribendique morem redoleant.

Primum enim Strabo p. 656, qua claros quos Cnidus genuit viros enumerat, dicit: εἶτ' Ἀγαθαρχίδης ὁ ἐκ τῶν περιπάτων, ἀνὴρ συγγραφεύς: Peripateticum igitur nominat Agatharchidem, Peripateticus autem sua suppeditavit Diodoro l. II c. 50, 7, quo dicitur ἀγαθὴ γὰρ ἡ φύσις διδάσκαλος . . . διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωΐας τὰς διαδοχὰς εἰς ἀίδιον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον. [1])

Sed plura etiam consentiunt cum Agatharchide. capite 51. enim explicare studet Diodorus, bestiarum varietates et magnitudines, avium florumque, quin et lapidum colores quos gignit Arabia, solis caloribus effici idque e nonnullis rebus τοὺς φυσιολόγους συλλογιζομένους ἀποφαίνεσθαι affirmat; eodem modo philosophorum sententias attulit Agatharchides apud Diodorum l. III c. 20, 2, cf. Photium c. 46 fin. noli credere hanc dicendi rationem casu in Agatharchidis verba irrepsisse: immo optime quadrat ad ejus indolem. Ichthyophagos enim qui locos habitabant quos adire difficile erat, cum non posset intellegere quomodo in praeruptas valles illas pervenissent, aborigines esse affirmavit quorundam philosophorum sententias secutus (c. 46 fin.), statim autem haec verba addidit: ἀλλὰ γὰρ περὶ μὲν τῶν τοιούτων ἀνεφίκτου τῆς ἐπινοίας ἡμῖν οὔσης, οὐδὲν κωλύει τοὺς τὰ πλεῖστα ἀποφηναμένους ἐλάχιστα γινώσκειν, ὡς ἂν τῆς ἐν τοῖς λόγοις πιθανότητος τὴν μὲν ἀκοὴν πειθούσης, τὴν δ' ἀλήθειαν οὐδαμῶς εὑρισκούσης (Diod. III 20, 3). boves Indicas aestatis temporibus Cynamolgorum

---

[1]) Vide infra pp. 54—55.

terram ingredi solere tradit capite 60, pluresque causas affert, quibus commotae suas regiones derelinquant, his verbis: οὐδεὶς γὰρ οἶδεν, εἴθ' ὑπὸ ζῴων πολλῶν καὶ σαρκοφάγων πολεμούμενοι φεύγουσιν, εἴτε δι' ἔνδειαν τροφῆς ἐκλείποντες τοὺς οἰκείους τόπους εἴτε δι' ἄλλην περιπέτειαν, ἣν ἡ μὲν πάντα τὰ παράδοξα γεννῶσα φύσις κατασκευάζει, τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος ἀδυνατεῖ τῷ νῷ συνιδεῖν (Diod. III 31, 2). maris recessus atque accessus inde a Pytheae temporibus unde efficerentur, doctioribus Graecis notum erat, vide Müllenhoff, Deutsche Altertumskunde I p. 364 ss., Agatharchides omnes adhuc allatas causas refutat c. 107 ap. Phot., quippe quae non oculis possunt cerni ut pluviae Aethiopicae. ac ne harum quidem pluviarum rationes se assequi posse affirmat ap. Diod. I 41, 6: πολλὰ γὰρ τὴν φύσιν ἐναντίως φέρειν, ὧν τὰς αἰτίας οὐκ ἐφικτὸν ἀνθρώποις ἀκριβῶς ἐξευρεῖν, satis habet Democriti sententiam refutare, ibidem c. 39.

Longum est plura adnotare, cum vel ex iis, quae attuli, satis intellegi possit, Agatharchidem in iis rebus quae, quoniam sensu agnosci nequeunt, ad divinas ut ita dicam mentis humanae vires spectant, cautissime progredi. optime igitur ad Agatharchidis indolem quadrat, quod Diodorus l. II c. 52 ad lapidum aviumque colores explicandos physiologos sententias proferentes facit, ipse quam sententiam sequatur, non prodit.

Pauca alia afferri possunt. capite 50, 7 dicit Diodorus, naturam esse optimam magistram, quocum conferas l. III c. 10, 6: αὐτοδιδάκτου πρὸς τὰ τοιαῦτα τῆς φύσεως οὔσης. Libro secundo c. 52, 7 dicit τὴν φυσικὴν ἐνέργειαν τὰς θνητὰς τέχνας μιμησαμένας βάπτειν ἕκαστα καὶ ποικίλλειν, μαθητρίας γενομένας τῆς φύσεως, Agatharchides apud Photium c. 101: τῶν δὲ Σαβαίων χρῶνται καὶ τοῖς δερματίνοις οὐκ ὀλίγοι πορείοις, διδασκούσης τὴν χρείαν τῆς ἀμπώτιδος.

Omnibus his quae modo attuli argumentis satis puto probatum esse, quae Diodorus narrat libro altero c. 48 ss., optime quadrare in Agatharchidis indolem; quam ob rem pro certo affirmaverim, Diodorum in Arabia describenda Agatharchidis libros Asiaticos secutum esse.

Quamquam cave credas totam Arabiae descriptionem Agatharchidi deberi. quae disserui, pertinent ad capita 50—53, quibuscum caput 49 artissime conjunctum est. restant igitur c. 48 et 54. capite 48 describitur Nabataeorum terra lacusque Asphaltidis, de quo plane iisdem verbis agit Diodorus l. XIX. capite 98; neque quae de Nabataeorum terra proferuntur, libro XIX. omissa sunt. sed jam paululo accuratius inspiciamus Diodori verba. initio capitis ita loquitur: αὕτη (sc. ἡ Ἀραβία) γὰρ κεῖται μὲν μεταξὺ Συρίας καὶ τῆς Αἰγύπτου: re vera non tota Arabia, sed pars tantum Arabiae Petraeae ita est sita. neque quod Diodorus affirmat, τὰ μὲν οὖν πρὸς τὴν ἕω μέρη κατοικοῦσιν Ἄραβες, οὓς ὀνομάζουσι Ναβαταίους, rectum est; occidentales enim Arabiae regiones habitabant Nabataei. talia sane vix scribere potuit, qui totam aetatem in Aegypto degerit et quam accuratissime sinus Arabici oras cognoverit: nego igitur Agatharchidem capite 48 Diodori fuisse auctorem, immo qui hanc descriptionem Diodoro suppeditavit, in extrema Syriae australis parte Idumaea librum suum composuisse debet, ut fortasse recte suspicati sint viri docti, historias Hieronymi Cardiani, qui munere quodam fungebatur hac regione, a Diodoro capite 48 exscriptas esse.

Eundem auctorem, a quo caput 48 mutuatus est, iterum capite 54 secutus esse videtur. enumerat enim singulas totius Arabiae partes; primam Arabiam felicem, alteram vastissimos campos amplectentem a Scenitis habitatam, quam desertam Ptolemaeus denominavit, tertiam desertam et inopem, quam nunc Ptolemaeum secuti Petraeam nominare solemus. quam extremam nominat Diodorus Arabiae partem, inter Arabiam felicem et desertam sitam esse affirmat, quod neminem puto contendere potuisse, nisi qui dixit Nabataeos Petraeae incolas orientem versus habitare. is enim, siquidem Arabia deserta, quam Scenitae habitabant, finitima erat Mesopotamiae et Assyriae, tale quid contendere potuit. quocum congruit, quod dicit Diodorus, Scenitas habitare

τὴν ἐνδοτέρω κειμένην Arabiam, quae verba et ipsa probare videntur, scriptorem in Syria australi versatum esse vel omnem Arabiae cognitionem inde hausisse; optime igitur quadrat cap. 54 initium ad caput 48.

Ea vero quae secuntur accurate interpretanti maximae existunt difficultates. tres Arabiae partes enumeravit Diodorus paragraphis 1 et 2: Arabia felix totam paeninsulam amplectitur inde ab Euphratis ostio et sinu Aelanitico usque ad oceanum; restant Arabia Petraea et deserta. atque ita Diodorum vel potius ejus auctorem sensisse, eo apparet, quod c. 49, 1 et c. 54, 2 dixit Arabiam felicem esse finitimam Petraeae. totam igitur Arabiam circumscripsit, cum enumeravit Arabiam felicem Arabiam desertam Arabiam Petraeam. sed novas Arabiae partes enumerat inde a paragrapho secunda: primum nominat solitudines immanes ad occidentem versas, deinde τὸ ὑπολειπόμενον μέρος τῆς Ἀραβίας, sc. terram prope ad Syriam sitam a mercatoribus agricolisque habitatam. sane nunc tandem opinamur, totam Arabiam esse circumscriptam, sed paragrapho quarta sic pergit: ἡ δὲ παρὰ τὸν ὠκεανὸν Ἀραβία κεῖται μὲν ὑπεράνω τῆς εὐδαίμονος κτέ. en habemus summam confusionem sane Diodoro dignam. sed quidnam statuamus de toto capite? num re vera sincera inest totius Arabiae descriptio? minime vero, immo tota Arabia jam prioribus paragraphis circumscripta est, quae tunc secuntur inde a paragraphis 2/3 liceat comparare cum Arabiae descriptione quam ab Eratosthene mutuatus est Strabo p. 767—768: conferas quaeso quos adpingam locos hosce:

Eratosth. ap. Strab. p. 767 fin.:	Diod. II c. 54:
ἔχουσι δ' αὐτὴν οἱ μὲν πρῶτοι μετὰ τοὺς Σύρους καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἄνθρωποι γεωργοί.	§3. τὸ δ' ὑπολειπόμενον μέρος τῆς Ἀραβίας τὸ πρὸς τὴν Συρίαν κεκλιμένον πλήθει γεωργῶν καὶ παντοδαπῶν ἐμπόρων.
μετὰ δὲ τούτους δίαμμός ἐστι γῆ καὶ λυπρά, φοίνικας ἔχουσα ὀλίγους καὶ ἄκανθαν καὶ μυρίκην	§2. τὰ δὲ πρὸς δυσμὰς μέρη κεκλιμένα τῆς Ἀραβίας διείληπται πεδίοις ἀμμώδεσιν ἀερίοις τὸ μέγεθος,

καὶ ὀρυκτὰ ὕδατα, καθάπερ καὶ ἡ Γεδρωσία· σκηνῖται δ' ἔχουσιν αὐτὴν Ἄραβες καὶ καμηλοβοσκοί.

p. 768 init.: τὰ δ' ἔσχατα πρὸς νότον καὶ ἀνταίροντα τῇ Αἰθιοπίᾳ βρέχεταί τε θερινοῖς ὄμβροις καὶ δισπορεῖται παραπλησίως τῇ Ἰνδικῇ, ποταμοὺς δ' ἔχει καταναλισκομένους εἰς πεδία καὶ λίμνας, εὐκαρπία δ' ἐστὶν ἥ τε ἄλλη καὶ μελιτουργεῖα δαψιλῆ, βοσκημάτων τε ἀφθονία κτέ.

δι' ὧν οἱ τὰς ὁδοιπορίας ποιούμενοι καθάπερ οἱ ἐν τοῖς πελάγεσι πρὸς τὰς ἀπὸ τῶν ἄρκτων σημασίας τὴν διέξοδον ποιοῦνται.

§ 4. ἡ δὲ παρὰ τὸν ὠκεανὸν Ἀραβία κεῖται μὲν ὑπεράνω τῆς εὐδαίμονος, ποταμοῖς δὲ πολλοῖς καὶ μεγάλοις διειλημμένη πολλοὺς ποιεῖ τόπους λιμνάζοντας καὶ μεγάλων ἑλῶν περιμέτρους. τοῖς δ' ἐκ τῶν ποταμῶν ἐπακτοῖς ὕδασι καὶ τοῖς ἐκ τῶν θερινῶν ὄμβρων γινομένοις ἀρδεύοντες πολλὴν χώραν, καὶ διπλοῦς καρποὺς λαμβάνουσι.... πρὸς δὲ τούτοις θρεμμάτων παντοδαπῶν πλήθει καὶ μάλιστα βοῶν καὶ προβάτων κτέ.

En vides Diodorum inde a paragrapho secunda iterum totam Arabiam describentem. quamquam inest, quod primo obtutu dubitationem movere possit. Diodorus ipse affirmat, se non Arabiam felicem describere §§ 4—7; dicit enim ἡ δὲ παρὰ τὸν ὠκεανὸν Ἀραβία κεῖται μὲν ὑπεράνω τῆς εὐδαίμονος. sed legas quaeso Diodori verba §§ 4—5 vel celerius percurras Eratosthenis quam adscripsi Arabiae felicis descriptionem: jam non dubites, quin ipsam Arabiam felicem, non terram supra Arabiam felicem sitam describat auctor.

Duae igitur Arabiae descriptiones insunt capiti 54, quas stulte in unam compressit Diodorus. ac priorem quidem mutuatus est ab eodem auctore, cui caput 48 debet, sed quemnam secutus est altera capitis parte? Agatharchidemne? sunt nonnulla quae talem sententiam probare videantur. esse enim Eratosthenis asseclam, qui scripsit paragraphos 3 ss., cognoscitur e Strabonis locis supra allatis. neque Agatharchidem Eratosthenis libros ignorasse, et in homine Alexandrino per se intellegitur, et nonnullis operis de mari erythraeo locis demonstrari potest. accedit

quod de camelis quos commemorat Diodorus paragrapho sexta, Agatharchides paene eodem modo agat in libris de mari erythraeo, conferas quaeso quos adscribam locos:

Diodor. II 54, 6–7:	Agath. ap. Diod. III 45, 4:
ὧν (sc. τῶν καμήλων) αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι καὶ κρεοφαγούμεναι πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγχωρίοις δαψίλειαν, αἱ δὲ πρὸς νωτοφορίαν ἠσκημέναι . . . νωτοφοροῦσιν, . . . αἱ δὲ . . . διατείνουσι πλεῖστον ὁδοῦ μῆκος . . . αἱ δ' αὐταὶ καὶ κατὰ τοὺς πολέμους εἰς τὰς μάχας ἔχουσαι τοξότας ἄγονται δύο ἀντικαθημένους ἀλλήλοις ἀντινώτους.	οὗτοι δὲ καμηλοτροφοῦντες πρὸς ἅπαντα χρῶνται τὰ μέγιστα τῶν κατὰ τὸν βίον τῇ τοῦ ζῴου τούτου χρείᾳ· πρὸς μὲν γὰρ τοὺς πολεμίους ἀπὸ τούτων μάχονται, τὰς δὲ κομιδὰς τῶν φορτίων ἐπὶ τούτων νωτοφοροῦντες ῥαδίως ἅπαντα συντελοῦσι, τὸ δὲ γάλα πίνοντες ἀπὸ τούτων διατρέφονται, καὶ τὴν ὅλην χώραν περιπολοῦσιν ἐπὶ τῶν δρομάδων καμήλων.

Fere idem igitur tradit Diodorus de Arabum camelis libro altero atque Agatharchides libro tertio. attamen obstat quaedam difficultas. de Arabia felici jam capite 49 ss. egit Diodorus Agatharchidem secutus: capite 54 iterumne revertitur ad Agatharchidem eandem terram descripturus? equidem non negaverim. tanta inest in toto capite descriptionis confusio, ut vix Diodorus auctorem quem secutus est, accurate exscripserit, immo postquam continua oratione descripsit Arabiam Petraeam et Arabiam felicem, capite 54 quae adhuc neglecta invenerat apud auctores suos, nunc addiderit itaque in summos errores inciderit. quodsi sententiam dicere licet, etiam capitis 54 paragraphos 2—7 ab Agatharchide mutuatum esse Diodorum censuerim.

Satis multis igitur locis Agatharchide usus est Diodorus, ac fortasse plus etiam quam adhuc indagare potui, ei debuit: nunc vero videamus, quid alii scriptores ei debeant. atque primum Plinius nat. hist. l. VII bis commemorat Agatharchidem §§ 14 et 29, ubi de Psyllis et Acridophagis disserit, Libyes Aethiopiaeque gentibus; sed etiam aliis locis nonnulla exhibet, quae Agatharchidis narrationibus

simillima sunt, conferas l. VI 195 cum Agatharchidis c. 58 (de Acridophagis), l. VIII 25—26 cum Agatharchidis cc. 53—54 (de elephantorum venatione); § 71 et c. 71 (elephanti et rhinocerotis pugna); § 72 et c. 77 (de crocotta); § 74 et c. 79 (de tauro carnes voranti); §§ 105—107 et c. 77 (iterum de crocotta). comparari possunt etiam §§ 32—34 et Diod. III 10, 5—6 et 37, 9 (de elephanti et draconis pugna), et multis aliis locis Plinius similia atque Agatharchides narrat, quae enumerare longum est.[1]) sed quamvis saepe congruat Plinius cum Agatharchide, tamen nusquam ipse Agatharchidem inspexit, neque adhuc certum quendam auctorem denominare possumus, qui has

---

[1]) L. VI § 167 haec habet Plinius: „eae omnes viae Arsinoën ducunt conditam sororis nomine in sinu Carandra a Ptolemaeo Philadelpho, qui primus Troglodyticen excussit, amnem qui Arsinoën praefluit Ptolemaeum appellavit.“ quibus in verbis miror quod Plinius cum Arsinoën urbem commemoravit, dixit, Philadelphum Troglodyticen excussisse; vix enim crediderim hunc extremum sinus Arabici recessum Troglodyticen dici posse, confer anonymum in geograph. compend. c. 17 ap. Müll. II p. 498, 2: ἐν δὲ τῇ ὑπὸ τὴν Αἴγυπτον Αἰθιοπίᾳ ἡ μὲν πρὸς τῇ θαλάσσῃ πᾶσα, ὅση ἐστὶν ἀπὸ Βερονίκης μέχρι τῶν στενῶν τοῦ Ἀραβίου κόλπου, καλεῖται Τρωγλοδυτική, et jam diu hanc quidem regionem Aegyptiis et Graecis notam fuisse affirmaverim. quam ob rem non video causam, qua commotus hoc potius loco cum Arsinoën urbem commemorat, talia verba addiderit, nisi auctor, cui haec debuit, accuratius de Philadelphi rebus gestis egerit. alia accedunt. quod enim Plinius tradit flumen, quod Arsinoën praeterfluit, Ptolemaeum nominatum esse, ex uno Diodoro quod quidem scio l. I c. 32, 12 nobis notum est, qui illic Agatharchidem exscripsit: Aelianus enim de nat. animal. XII 29 nescire videtur quis sit Πτολεμαίων ποταμός quem commemorat, neque quidquam de ejus situ tradit; neque Tzetzam (chiliad. VII 457), qui permulta Diodoro debet, curo. jam vero Agatharchides et de Philadelphi rebus gestis accuratissime egit et in libris de mari erythraeo multa verba fecisse videtur de flumine quod ad Arsinoën urbem in sinum Arabicum effunditur, vide supra p. 18. fortasse igitur licet suspicari ex Agatharchide haec manasse. quae si recta sint, etiam quae antea traduntur de Nili fossa, quam Philadelphus fodi jussit, Agatharchidi assignanda sint, cum Strabo quoque sua p. 804 per Artemidorum ex Agatharchide petivisse videatur. sed nonnulla insunt, quae adhuc non possum expedire, qua re haec in dubio relinquam.

narratiunculas in Plini naturalem historiam derivarit. neque Plutarchus, qui eum commemorat quaest. conv. VIII 9, 16 (locum exscripsit Müllerus geogr. I p. 195), ipsum Agatharchidem inspexit, quin fortasse eandem quam Agatharchides c. 58 de Acridophagis narravit rem, depravatam reddidit. optime autem ex Aeliani de nat. an. libri V capite 27 evincitur paradoxographos perbrevi ejus narratiunculas usurpasse: una cum Theopompo Aristotele Alexandro Myndio Theophrasto aliis enumeratur Agatharchides rerum mirabilium auctor. — etiam plura exhibet Agatharchidea Aelianus, etsi nusquam eum inspexit. l. XVI c. 27 citatur Agatharchides, sc. in eo libro, quem et ipse et Plinius VII 14 exscripserunt, auctoris nomen allatum erat. ceteris locis non commemoravit nomen Agatharchidis, dico l. XVII cc. 41, 44, 45. etiam cc. 40 et 42 Agatharchidi debentur; tales enim narratiunculae cum in rerum mirabilium libris una cum Ctesiae Megasthenis aliorum narrationibus enarrarentur, facillime confundebantur, idque in Agatharchidis narrationibus eo facilius fieri potuit, quod popularis erat Ctesiae. itaque nego, quae de Cynamolgis tradidit l. XVI c. 31, Ctesiae esse[1]: plane abhorret a Ctesiae ingenio animalia Cynamolgos nominata homines esse affirmare, quae nomen accepissent, quod e canibus lac exprimerent: immo sive ipse nomen finxisset sive re vera audivisset, solito more diras fabulas narrasset. omnino Ctesiae idem accidit, quod Aristoteli, ut multa quae fabulosa de India Aethiopiaque legebantur, ejus esse putarentur. quod uno exemplo probare liceat. in Photi libro Monacensi fine codicis LXXII, quo Ctesiae excerpta Indica continentur, haec leguntur, quae quaeso conferas cum Agatharchidis verbis quae adpingam:

---

[1]) Quod Pollux et ipse Ctesiam nominat auctorem onom. V 5, 41, nil valet ad quaestionem dijudicandam. ceterum quas varias viri docti de hac fabula sententias protulerunt, legas quaeso apud Frietenium l. c. p. 48 et Franciscum Schauffelberger, De Ctesiae Cnidii Indicis p. 22.

Phot. cod. Monac.:	Agath. c. 77 ap. Phot.:
ἔστι δὲ ἐν Αἰθιοπίᾳ ζῷον λεγόμενον Κροκόττας, κοινῶς δὲ κυνόλυκος· ἔστι δὲ τῇ δυνάμει θαυμαστόν· τοῦτο δέ φασιν ἀνθρωπίνην μιμεῖσθαι φωνὴν καὶ διὰ νυκτὸς καλεῖν ὡς ἐπ' ἀνθρώπου φωνῇ καὶ προςιόντας· οἱ δὲ ἀθρόως ἐπιπίπτοντες κατεσθίουσιν.	ὅτι ὁ κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν ὀνομαζόμενος κροκόττας ἐστὶ μὲν ὡς ἐκ λύκου καὶ κυνὸς σύνθετον, ἀμφοῖν δὲ ἀγριώτερον . . . τοῦτο δὲ καὶ μιμεῖσθαί τινες τὴν ἀνθρωπίνην διάλεκτον διηγούμενοι . . . ὡς καὶ ἐξ ὀνόματος κατὰ τὰς νύκτας καλοῦντες, τοὺς δὲ ὡς ἐπ' ἀνθρώπου φωνῇ προςιόντας, οἱ δὲ ἀθρόον ἐπιπίπτοντες κατεσθίουσιν . . . c. 76 (de tauro immani sermo est)
ἔχει δὲ θηρίον ἀλκὴν λέοντος, ταχύτητα ἵππου, ῥώμην ταύρου, σιδήρου δὲ ⟨οὐχ⟩ ὑπεῖκον.[1]);	καὶ τὸ μὲν θηρίον . . . κρίνεται . . . ἀλκὴν μὲν ἔχειν λέοντος, τάχος δὲ ἵππου, ῥώμην δὲ ταύρου, σιδήρῳ δὲ οὐχ ὑπεῖκον.

en vides ipsa Agatharchidis verba in Ctesiae reliquias esse recepta.

Ad alios si vertimus scriptores, nihil inveni, quo probetur Agatharchidem adhibitum esse. hoc tantum adnotare liceat, Theophylactum historiarum libro VII Diodori dissertationem de Nili incrementi causis, quae continetur l. I cc. 37—41, verbotenus transcripsisse, et Eustathium in commentariis ad Dionysium quippe Strabonis sectatorem pauca ex eo repetivisse, quae Agatharchidi debebat Artemidorus, ut narrationem de nomine maris erythraei ad v. 38, p. 224 in Müll. geogr. t. II, de Acridophagis, de topazo lapide, alia.

Jam vero si fragmentis indagatis Agatharchidis librorum argumenta singulorumque librorum ordinem explicare conemur, fatendum est, non multum lucis nos eis attulisse. primo libro operis de mari erythraeo egisse videtur de bellis a Ptolemaeis in terra Troglodytica et Aethiopia

---

[1]) v. Ctesiae et chronogr. fragm. ed. Müller. Paris. a. 1887 p. 105 fr. 87.

commercii elephantorumque venationis causa susceptis, quinto libro accuratius descripsit sinum Arabicum populosque ad ejus oras habitantes. quid in ceteris libris narraverit Agatharchides, nescitur, cum ne unum quidem horum librorum fragmentum exstet et quae e libro quinto concludere possimus, fortasse omnia in primo libro locum habuerint. neque num totum mare erythraeum descripserit, ex iis quae adhuc prolata sunt, pro certo affirmari neque negari potest, immo quo diutius rem consideres, eo magis in dubio verseris, ut appareat, rem esse magis conjecturarum quam argumentorum. [1])

Neque quidnam Agatharchides in libris Asiaticis et Europiacis praestiterit, adhuc dijudicari potest. in libris Asiaticis vidimus Agatharchidem egisse de Arabiae Aegypti Aethiopiae, fortasse etiam Libyes situ condicionibusque, ut jure me contendere posse putem, eum data occasione etiam de ceteris Asiae regionibus, dico Assyriam Babyloniam Indiam alias, eodem modo egisse. quae cetera e libris Asiaticis fragmenta exstant apud Athenaeum et Lucianum (frr. 16—18 Müll.), ad Alexandrum ejusque successores pertinent, ut fortasse recte suspicatus sit Müllerus (F. H. G. III p. 191 b), Josephi verba Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος ὃς τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας συγγραψάμενος (Antiqu. Jud. XII, 1, fr. 19 Müll.) ad libros Asiaticos pertinere: attamen in re quam maxime dubia nil certi proferri potest. — de libris Europiacis fortasse recte judicavit idem vir doctus l. c. p. 191 ratus hisce libris quadraginta novem Agatharchidem res eorum, qui in Europa Alexandro successerunt, ad suam fere aetatem persecutum esse: singula fragmenta inspicias apud Müllerum, cui non habeo quod addam.

Restat ut pauca verba faciamus de Agatharchide Samio, quem nonnulli viri docti eundem ac Cnidium esse putaverunt. scripsisse dicitur Περσικά, Φρυγικά, περὶ λίθων. tria exstant Samii fragmenta apud Müll. F. H. G. III p. 197 ex Pseudoplutarchi qui fertur et Parallelis

[1]) Confer tamen Müllerum p. LIX b.

minoribus et libro de fluviis petita. quorum primo narratur Agesilaum Themistoclis fratrem cum missus esset ut Xerxis castra exploraret, habitu Persico ad barbaros venisse et Metrodorum quendam e regis stipatoribus, quem Xerxem putaret, interfecisse et qu. sequ. en vides narrationem quam de Mucio Scaevola tradidit Livius l. II c. 12, in Themistoclis fratrem Agesilaum translatam esse. talia auctorem Alexandrinum alterius ante Christum saeculi scribere potuisse, nemo non negabit. neque Agatharchides, quem Samium nominat Pseudoplutarchus, umquam fuisse videtur, siquidem recte observavit Rudolfus Hercher, Pseudoplutarchum quos auctores dicit ad historiolas suas probandas, mentitum esse, in disputatione quae inscribitur: Über die Glaubwürdigkeit der neuen Geschichte des Ptolemaeos Chennos, in Fleckeis. Annal. suppl. I.

De opinionibus philosophicis.

Heraclidis Lembi, quem Agatharchidis magistrum nominat Photius, perpauca nobis servata sunt fragmenta, quibus tamen evidens est, eum non intactum fuisse Pythagoreorum doctrina.[1]) qua in re discipulus non videtur magistrum secutus esse, nihil enim quod videre potui inest quod eorum scholam redoleat, immo quae p. 164. 4 Müll. Photius affert verba πᾶν δὲ θηρίον διδάσκεται σωφρονεῖν οὐ λόγῳ τὴν ἐκδοχὴν τοῦ κρείττονος μανθάνον, παραπεπλεγμένης δ' ἐναλλὰξ τῷ πάθει τῆς μνήμης contra ipsos qui tunc temporis multi Alexandriae erant Pythagoreos scripta esse videntur. paulo majoris momenti est, quod Heraclides Peripateticorum more historiis conscribendis operam navavit quodque Strabo, cum suo more viros quos claros genuit Cnidus enumerat, Agatharchidem ἐκ τῶν περιπάτων fuisse tradit, quocum optime congruit, quod Photio p. 171[a] cod. 213 teste scripsit περὶ τῆς προσφιλοῦς ὁμιλίας, de qua multi scripserunt Peripatetici. accedit, quod Aristotelis praecepta rhetorica secutus et Aristoteliis pigmentis quae nominat Cicero orationem ornare studuit et in historia conscribenda Callisthenis Duridis aliorumque Peripateticorum rationes imitatus est, de qua re infra agam, ut suo jure Strabo Agatharchidem Peripateticum nominare possit. jam vero in ipsis Agatharchidis reliquiis

---

[1]) Confer Usenerum in Mus. Rhen. vol. XXVIII p. 430 – 433 et qui eum corrigere studet Hermannum Diels Paradox. p. 149 – 152.

exstat locus, qui optime nos docet, eum inter Peripateticos numerandum esse, dico locum saepe laudatum in libris de mari erythraeo c. 46, quo agitur de Ichthyophagis, qui valles habitabant praecipitibus rupibus marique circumclusas. atque haec illic verba addidit Agatharchides: τούτων δὲ ὑφεστώτων, φησί, λοιπὸν εἰπεῖν ὡς αὐθιγενεῖς εἰσι, μνήμην τοῦ πρώτου σπέρματος οὐ λαβόντες, ἀεὶ δὲ ὑπάρχοντες, ὃν τρόπον ἔνιοι τῶν καλουμένων ὡρίσαντο φυσικῶν. quinam sint physici, qui defendant talem sententiam, non admodum difficile est cognitu.[1]) hominum gens aeterna esse nequit, ni mundus qualem nunc habitamus aeternus est. tres autem sunt philosophorum sententiae de mundi incorruptibilitate et aeternitate, ut dicit Philo t. II p. 489 ed. Mangey. alii mundum ortum dicunt et periturum, ut Democritus Epicurus Stoici (vel potius ὁ πολὺς ὅμιλος τῶν ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλοσόφων, ceteri Platonem sequebantur), alii sempiternum quidem, sed ortum, ut Platonis discipuli; solus Aristoteles ejusque sectatores et ingenitum et incorruptibilem pronuntiaverunt mundum[2]): soli igitur Peripatetici gentem humanam ingenitam atque aeternam esse contendere poterant. quamquam Aristoteles ipse nondum apertis verbis generis humani aeternitatem pronuntiavit[3]), non multo autem postea Peripatetici hanc sententiam professi sunt, cum Critolaus, Agatharchide haud multo antiquior, ex hominum aeternitate mundi aeternitatem probare studeret, confer Philonem l. c. p. 492 ss., et sententiam suam χρὴ δ' εὖ εἰδέναι, ὅτι ἐξ ἀϊδίου κατὰ διαδοχὰς ἐξ ἀνθρώπων βλαστάνουσιν ἄνθρωποι, ut notam volgatamque proclamavit (l. c. p. 495).

---

[1]) Cf. Zeller II³ 2 p. 508; Sitzungsberichte der Berliner Akademie v. J. 1878 p. 97 (Aristoteles von der Ewigkeit der Welt); p. 111 f. (Griechische Vorgänger Darwins).

[2]) Qui enim Academici aliique ante Agatharchidis tempora Aristotelis sententiam arripuerunt, non admodum multi sunt, quare eos hic non curo; confer Zellerum Sitzungsberichte p. 108.

[3]) Accuratius de hac re egit Bernaysius, Theophrasts Schrift über die Frömmigkeit p. 44-50; cf. Zeller II³ 2 p. 508, 1.

Peripateticorum igitur doctrinam secutus est Agatharchides, cum aeternam nominaret illam Ichthyophagorum gentem et in Arabiae descriptione apud Diodorum l. II c. 50, 7, quem locum ex Agatharchide desumptum esse supra demonstravi, diceret: φύσις . . . διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωΐας τὰς διαδοχὰς (sc. τῶν ζῴων) εἰς ἀΐδιον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον. en plane eandem ac quam Critolai modo exscripsi habes sententiam. sed cave credas totam Peripateticorum doctrinam amplexum uni tantum scholae se applicuisse Agatharchidem: immo nonnumquam a Peripateticorum schola discedere aliorumque doctrinas sectari videtur, ut etiam eo loco, quo Ichthyophagos aeternos esse affirmavit, necessitate quadam hanc sententiam profiteri coactus est; itaque cautissime arripuit illam „physicorum quorundam" doctrinam, atque omnino veretur de iis rebus quae sensu intellegi nequeunt, certum judicium facere, conferas quae supra p. 42 s. de hac re disputavi. sane tales dubitationes non sapiunt Aristotelis scholam, immo, ut brevi sententiam meam dicam, multis in rebus quam proxime abest ab Epicuri doctrina, qui et ipse de terrae motu, de solis magnitudine aliisque ejusmodi rebus certam sententiam dicere noluit; legas quaeso quae Epicurus disseruit de terrae motu apud Senecam nat. quaest. VI 20 (fr. 351 in Useneri Epicureis): „omnes istas esse posse causas Epicurus ait pluresque alias temptat et illos qui aliquid unum ex istis esse adfirmaverunt, corripit, cum sit arduum de his quae conjectura sequenda sunt, aliquid certi promittere" et qu. sequ., cf. Diog. Laert. l. X c. 92 ss. quibuscum si eos quos supra excripsi locos comparaveris, concedes Agatharchidem prope accedere ad Epicuri doctrinam, etsi non merum Epicureum in hisce rebus se praebuit.

Aliis vero locis multo magis Epicurum sectatur Agatharchides. in Diodori libro primo, quo recenset aliorum virorum sententias quas protulerunt de Nili incrementi causis, ubique evidentiam postulat, qua probentur virorum illorum sententiae, conferas Diod. I 39, 6: οὐδὲ τὴν

πίστιν ἔχει διὰ τῆς ἐναργείας συγχωρουμένην; 40, 5: ἐάν τις τοῖς λόγοις κατατολμήσας βιάζηται τὴν ἐνάργειαν; ibidem § 6 δίκαιον δὲ τοὺς περί τινων διαβεβαιουμένους ἢ τὴν ἐνάργειαν παρέχεσθαι μαρτυροῦσαν ἢ κτέ; 41, 8 τῆς ἐναργείας αὐτῆς μαρτυρουμένης ὑπὸ τῶν περὶ τοὺς τόπους οἰκούντων βαρβάρων.[1]) ἐνάργεια propria vox Epicureorum est, qui veras opiniones eas esse affirmabant, quae evidentia probarentur, falsas, quae evidentia reprobarentur. itaque saepissime hoc vocabulo usus est Epicurus, imprimis conferas fr. 247, quo totam suam sententiam explicat p. 181, 12 Usen.: τῶν δοξῶν . . . αἱ μὲν ἀληθεῖς εἰσιν, αἱ δὲ ψευδεῖς. ἀληθεῖς μὲν αἵ τε ἐπιμαρτυρούμεναι καὶ οὐκ ἀντιμαρτυρούμεναι πρὸς τῆς ἐναργείας, ψευδεῖς δὲ αἵ τε ἀντιμαρτυρούμεναι καὶ οὐκ ἐπιμαρτυρούμεναι πρὸς τῆς ἐναργείας. ita factum est, ut Epicurum reprobasse putarent, qui eum evidentiae repugnare demonstraverant, legas Plutarchi verba: τίς οὖν κινεῖ τὰ πεπιστευμένα καὶ μάχεται τοῖς ἐναργέσιν; (fr. 342, cf. fr. 252). quod igitur de omnibus opinionibus judiciisque Epicurus dixit, recta esse quae evidentia probarentur, idem Agatharchides affirmat de virorum illorum judiciis de Nili incremento factis: reprobat opiniones quae cum evidentia pugnent, suam sententiam evidentia optime probari contendit. — quam artissime cum Epicuri doctrina, opiniones evidentia vel probari vel reprobari, cohaerere videtur, quod ubique fere δόξαν et φύσιν inter se opponit. νόμον et φύσιν quidem Cynici et Stoici inter se opponunt, δόξαν et φύσιν nusquam quod scio ceterarum scholarum sectatores. Epicurus igitur saepe usurpavit vocabula φύσιν et δόξαν inter se opposita; fere idem enim sunt φύσις et δόξα in re ethica atque ἐνάργεια et δόξα in rebus physicis. non opus est locos exscribere, permultos invenies in Useneri Epicureis, conferas frr. 201, 202, 422, 458, 471, sententiarum selectarum XXX: etiam frr. 203, 462, 486, Diog. Laert. X 87

---

[1]) Etiam in libris de mari erythraeo laudat evidentiam, vide p. 120, 11, 46; 122, 13: at spectant ad artem oratoriam et Peripateticorum leges his locis secutus esse videtur, id quod infra spero me probaturum esse. alio loco dicit: αὐτὸς ἑαυτῷ αἴτιος καθίστατο ἐλέγχων ὁ τὴν τῶν μυθοποιῶν ἐξουσίαν εἰς πραγματικὴν μετάγων ἐνάργειαν (p. 117, 3).

(p. 36, 15 Usen.) comparari possunt. quos locos qui legerit, concedet proprium esse Epicureorum, φύσιν et δόξαν inter se opponere. quodsi exstant Agatharchidis verba τῇ θείᾳ πρὸς τὸ ζῆν ὁδῷ βραβευόμενοι πάντες, οὐ τῇ παρασοφιζομένῃ ταῖς δόξαις τὴν φύσιν (140, 18); εὐτυχήσει κατὰ τὸν τῆς φύσεως λογισμόν, οὐ κατὰ τὸν τῆς δόξης (141, 7); τοὺς . . . τελευτῶντας αὐτῶν οὐδεμιᾶς ἀξιοῦσι προνοίας, ἀπαθῆ πρὸς τὸν ἐκ δόξης ἔλεον κεκτημένοι τὴν γνώμην (137, 20), eum hac quoque in re Epicuri doctrinam arripuisse licitum est statuere.

Sed ne Agatharchides verbis solum, non rebus nonnunquam quam proxime abesse videatur ab Epicuri philosophia, paulo accuratius agendum est de Ichthyophagorum vita qualem descripsit in quinto libro operis de mari erythraeo. c. 49 fine enim dicit: νόμοις δὲ οὐ δικαιοῦνται· τί γὰρ δεῖ προστάγματι δουλεύειν τὸν χωρὶς γράμματος εὐγνωμονεῖν δυνάμενον; quod quam maxime abhorret a Peripateticorum doctrina, contra optime quadrat ad Epicuri sententiam: οἱ νόμοι χάριν τῶν σοφῶν κεῖνται, οὐχ ὅπως μὴ ἀδικῶσιν, ἀλλ' ὅπως μὴ ἀδικῶνται (fr. 530), conferas quaeso quae Epicureus quidam disserit apud Porphyrium de abst. I 7—12 et Plutarchi libros Adversus Coloten et De latenter vivendo inscriptos (in Useneri Epicureis fr. 548 ss.). omnino c. 49 summis laudibus effert Agatharchides simplicem Ichthyophagorum vivendi rationem, qua omnia, quae non necessaria sint ad vitam, excludant, et naturam ipsam optimam esse voluptatis jucundaeque vitae rationis magistram affirmat. conferas etiam: ἡδονῆς μὲν καὶ πόνου φυσικὴν ἔχοντες γνῶσιν, αἰσχρῶν δὲ καὶ καλῶν οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην εἰςφερόμενοι ἔννοιαν (sc. Ichthyophagi, c. 31); ἡ γὰρ φύσις αὐτῶν ἀδιάστροφος οὖσα τὴν ἀναπλήρωσιν τῆς ἐνδείας ἡγεῖται μέγιστον ἀγαθόν, οὐδὲν τῶν ἐπειςάκτων ἡδέων ἐπιζητοῦσα (c. 38, Diod. III 17, 4); contra eos vituperat, qui quaestus causa summa pericula summosque labores suscipiant, v. c. 49. quae omnia quam maxime congruunt cum Epicuri doctrina, voluptates esse naturales et necessarias vel non necessarias, v. sent. select. XXIX, fr. 456, Laert. Diog. X 127 p. 62 Usen. ac necessariis quidem voluptatibus, quas

natura ipsa nos doceat, opus esse ad beate vivendum, superfluis nos carere posse, v. fr. 468: Sapientem locupletat ipsa natura, frr. 475, 476, 201, 207.[1]) qua de causa acerbissime increpuerunt adversarii Epicurum, ut Cicero dixit: Voluptatem bestiis concedamus, quibus vos de summo bono testibus uti soletis, vel: Pecudis et hominis idem bonum esse censent (fr. 398), conferas imprimis Plutarchi Gryllum qui fertur.[2]) denique vituperat Epicurus eos, qui quaestus causa pericula subeant, nam ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, ἀλλὰ τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν (fr. 473) et ἐξ ἐργασίας θηριώδους οὐσίας μὲν πλῆθος σωρεύεται, βίος δὲ ταλαίπωρος συνίσταται (fr. 480). — sed jam satis superque disputatum est de re nota volgataque: nunc liceat locum afferre, quo merum Epicureum se praestet Agatharchides. apud Diodorum enim l. III c 18, 2 haec exstant verba: στέργουσι δὲ τὴν ἐξ ἀρχῆς δίαιταν ὑπὸ τῆς τύχης αὐτοῖς προσκληρωθεῖσαν, εὐδαιμονίαν ἡγούμενοι τὴν ἐκ τῆς ἐνδείας αὐτοῦ τοῦ λυποῦντος ὑπεξαίρεσιν (c. 40). en habes propriam Epicuri doctrinam longe volgatam et acerbissime a Cicerone aliisque reprobatam, quam contra Cyrenaicorum sectam profitebatur: summam voluptatem esse nil dolere neque quidquam accedere posse ad voluptatem nil dolentis.

Quae cum ita sint, non dubito alios quoque locos Epicureo assignare. p. 137, 18 dicit Agatharchides: τοὺς μέντοι γε τελευτῶντας αὐτῶν οὐδεμιᾶς ἀξιοῦσι προνοίας, ἀπαθῆ πρὸς τὸν ἐκ δόξης ἔλεον κεκτημένοι τὴν γνώμην; p. 154, 20 narrat Troglodytas mortuos sepelire cum joco et derisu, atque addit: οὕτω ταῖς κηδείαις καταχρῶνται νουνεχῶς, εἴπερ μὴ λυπεῖν ἑαυτοὺς ἐπὶ τοῖς ἀλυπήτοις συνέσεως σημεῖον (p. 155, 3). sane cynici quoque aliique philosophi hanc sententiam profiteri poterant, at Epicuro haec debentur, quem tot locis ducem sibi elegit Agatharchides. neque si alter locus (p. 155, 3) fortasse paululum abscedat, hoc nimis urgendum esse puta-

[1]) E Porphyri epistola ad Marcellam scripta, de qua conferendus est Usenerus in Epicureis p. LVIII ss., Nauckius in alterius editionis opusculorum Porphyri indice s. v. Epicurus.

[2]) De Plutarchi Gryllo qui fertur cf. ibidem p. LXIX.

verim, nam gravissima disputatione Epicurus Menoeceum adolescentem docere studet, μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον, ap. Diog. Laert. X 124 –127, quocum conferas sent. select. II p. 71 Usen.: quin etiam docuit, οὐδὲ ταφῆς φροντιεῖν (sc. τὸν σοφόν) ap. Laert. Diog. X 121, fr. 578 Usen. — denique alio loco Epicureum mihi comprehendisse videor. p. 115 ap. Müll. deridet inferorum fabulas Odyssiae rhapsodiam λ secutus, ubi v. 13 haec habes: ἄλλους δὲ δικάζειν ἑτέροις τεθνηκόσιν. ἀδικήματος οὐδενὸς ὑπάρχοντος (cf. λ 568 — 571). diu recogitavi, quid sibi velint haec verba ἀδικήματος οὐδενὸς ὑπάρχοντος, et confiteor, me ea non intellegere posse nisi insit doctrina quaedam Epicurea. Epicurus enim docet animam cum ipso corpore interire et esse poetarum figmenta, inferorum poenas esse timendas (frr. 336—341); immo inferorum poenae quae ferantur in hac quam nunc vivimus esse vita contendit secundum Lactantium divin. instit. VII 7, 13 (fr. 341), quam maxime hac in re Zenoni repugnans, qui inferos esse docuit et piorum sedes ab impiis discretas, v. l. c. qua de re Agatharchides Epicurum secutus dicere potuit apud inferos nihil injuriarum esse reliquum.

Restat ut pauca verba faciam de Diodori l. II capitibus 49 – 53. capite 50 fin. habemus Peripateticum, qui affirmat, naturam perpetua propagatione orbis in modum animalium genera extendere; contra capite 52, quod artissime cohaeret cum antecedentibus, alius sectae philosophicae doctrinam protulisse videtur Agatharchides. dicit enim Diodorus lapides crystallinos ex aqua purissima in glaciem indurata coalescere, non tamen frigore, sed divini ignis potentia. quod abhorret ab Aristotelis quidem Theophrastique sententia; nam disertis verbis dicit Aristoteles, ὅσα μὲν οὖν ἐστιν ὕδατος, οὐ πήγνυται ὑπὸ πυρός, conferas Arist. Meteor. l. IV c. 6 (p. 382, 28 ss.). neque si Agatharchides contendisse videtur, smaragdos et beryllia et chrysolithos aliosque lapides ex aqua gigni, Aristotelis et Theophrasti doctrinam secutus est, qui contenderunt e terra gigni lapides, cf. Theoph. de lap. c. 1, Arist. p. 383 b, 20; 378 a, 22.

quam plurimum autem abest Diodorus vel potius Agatharchides a Peripateticorum doctrina cum contendit, beryllia ceterosque lapides ex aqua gigni arida exhalatione cooperante, v. Diod. II 52, 3: τοὺς δὲ χρυσολίθους ὑπὸ καπνώδους ἀναθυμιάσεως ἡλίου θερμότητι φυομένους κτέ., conferas de hac re Theophrastum de lap. c. 48 et 50. quamquam Arius Didymus in epitome Aristotelis philosophiae in Stob. eclog. c. XXXIX (p. 253, 25 ss. Wachsmuth) [1]) dicit τὰς δὲ τῶν ὑδάτων δυνάμεις καὶ τοὺς χύλους καὶ τὰς ἄλλας πάσας ποιότητας ... γίνεσθαι ... παρὰ τὴν τῆς καπνώδους καὶ πυρώδους ἀναθυμιάσεως μῖξιν· ἀπολίθωσιν γὰρ κτέ. quae verba, si recte judico, non aliter intellegi possunt quam lapides fieri ex aqua cooperante arida exhalatione [2]), quae Agatharchidis quoque sententia esse videtur qualem Diodorus exhibet l. c. at talem doctrinam neque inveni apud Aristotelem neque eum talia docere potuisse putaverim, ut Arius suo more iis, quae apud Aristotelem invenerat, stoicorum doctrinas inseruisse videatur, confer Dielsium l. c. p. 77. num igitur putemus, Agatharchidem stoicorum quoque doctrinas nonnullas arripuisse? quod quamquam non nego fieri potuisse, cum qui in una doctrina non sibi constat, facillime plures adire possit, tamen non crediderim, nobis ita statuendum esse de Agatharchidis opinionibus philosophicis. nihil enim inest illis Diodori capitibus, quod fundamentis aut Peripateticae aut Epicureae scholae repugnet, ut fortasse suspicari liceat, posteriores Peripateticos vel fortasse etiam Epicureos in talem sententiam incidisse.

---

[1]) De Arii epitome conferendus est Hermannus Diels in Doxographis p. 69 ss. verba quae attuli exscripsit p. 854.

[2]) De arida atque humida exhalatione confer imprimis Aristotelem in Meteor. l II c. 4 p. 359 b 27 ss.

De arte oratoria.

Codice 213 Photius postquam breviter Agatharchidis opera recensuit, summis laudibus effert ejus scribendi rationem, quin eum orationum dignitate Thucydidem aequasse, perspicuitate superasse affirmat. laudat sententiarum crebritatem, verborum proprietatem, translationum decus, quae per omnes ejus libros volgatae sint: sunt Aristotelia pigmenta, ut statim intellegitur comparato altero (sc. de sententiis c. 21 p. 1394a 19 ss.) et tertio artis rhetoricae libro. sed ne longus sim, satis habeo ad Ciceronem provocare, qui in Oratore §§ 92—96 similem in modum Demetrium Phalereum ac Photius Agatharchidem laudibus dignum habet.

Sed ne in Agatharchide recensendo solum Photium sequamur auctorem, infimae aetatis virum, videamus, num ex ipsis reliquiis viri scribendi rationem cognoscere possimus. qua in re contigit, ut Photius amplam de arte rhetorica disputationem nobis servaverit, quam initio libri quinti operis de mari erythraeo lectoribus proposuit Agatharchides. quaerit enim quomodo summae quibus nonnunquam homines civitatesque afficiantur calamitates, narrandae sint, et multis exemplis ex Hegesia et Hermesianacte Asianis, exque Demosthene Stratocle Aeschine Atticis allatis veram dicendi normam docere studet; refutat Asianos quippe verborum ludis magis quam rerum gravitati studentes, ut si dicant ὄνομα κατελάβομεν πόλιν καταλιπόντες (120, 4) vel τὸν γὰρ μέγιστα φωνήσαντα τόπον ἄφωνον ἡ συμφορὰ πεποίηκεν (120, 12), et acerbissimis verbis eos vitu-

perat, quod sub ipsis Thebis Olynthoque eversis hariolentur: δεινὸν τὴν χώραν ἄσπορον οὖσαν τὴν τοὺς Σπαρτοὺς τεκοῦσαν (121, 4). contra laudat Demosthenem Aeschinem Stratoclem, quod de Thebanorum calamitate dicentes optime et perspicuitatem assecuti sint et rei gravitatem demonstrarint.

Laudat igitur Atticos oratores et acerbe consulit in Asianos, qui cum Demosthenis aliorumque tumorem reprobarent, quasi ad dicendi incunabula redeuntes Gorgiam Lysiamque [1]) sibi imitandos eligebant. sed paululo diligentius inquiramus, quas dicendi normas rectas pronuntiaverit Agatharchides. docere conatur, quomodo summae quorundam calamitates iis qui extra pericula positi sunt, decenter sint nuntiandae; quorum modum non facile apparere, nisi quis subindicet causam iis quae aperiuntur convenientem. [2]) quamquam hanc sententiam non accuratius explicuit, contra cum oratorum dicendi rationes exemplis allatis illustrat, nonnullas dicendi leges constituit, ut: tractandae rei accommodate dicat scriptor [3])

---

[1]) Sc. τὸν ἐπιδεικτικόν, qualem vituperat Plato in Phaedro dialogo et a Theophrasto defendere studet Dionysius in Lysiae judicio c. 14 p. 483 ss. ed. Reiske. ac simillimam esse Asianorum qui dicuntur dicendi rationem Gorgiae Lysiaeque, statim apparet paucis exemplis allatis, cf. quaeso Gorgiae τῷ φρονίμῳ τῆς γνώμης παύοντες τὸ ἄφρον [τῆς ῥώμης] et Lysiae κλαίω τὸν ἀμάχητον καὶ ἀναυμάχητον ὄλεθρον . . . ἀνακαλοῦντες συγγένειαν εὐμένειαν, v. Dionysium l. c. quin Hegesias ipse se Lysiae esse aemulum profitetur in Ciceronis Oratore § 226: . . . Hegesias dum ille quoque imitari Lysiam volt alterum paene Demosthenem, saltat incidens particulas.

[2]) πολλοὶ . . . διηπορήκασιν, πῶς τας ὑπερβαλλούσας ἐνίοις ἀκληρίας τὸν ἐκτὸς τῶν κινδύνων κείμενον πρεπόντως ἐξαγγελτέον· ὧν ὁ τρόπος οὐ λίαν γένοιτ᾽ ἂν ἐμφανής, εἰ μή τις ὑποτάξαιτ᾽ ἂν ἀκόλουθον αἰτίαν τοῖς ἐμφανιζομένοις. quae extrema exscripsi verba, satis obscura sunt, facile autem intelleguntur collato Demetrio de eloc. c. 217: γίνεται δ᾽ ἐκ τοῦ τὰ παρεπόμενα τοῖς πράγμασι λέγειν ἐνάργεια, cf. Dionys. de Lys. jud. c. 7 p. 466 Reisk. Polyb. l. II c. 56, 10.

[3]) δηλῶσαι τὰ πεπραγμένα τοῦ πάθους οἰκείως (119, 24); ὁ γὰρ μὴν θέλων τοῖς καιροῖς οἰκείως διαλέγεσθαι (119, 34); τῆς δὲ τῶν ὑποκειμένων ἀξίας οὐ στοχάζεται (120, 2).

neve in gravissimis rebus consueta propriaque verba fugiat[1]), ut evidentiam assequatur, quae orationem gravem reddat[2]), denique legentium animi commiseratione afficiantur.[3])

Decoram igitur postulat rerumque dignitati accommodatam orationem, Aristotelis vestigia artissime secutus, qui artis rhetoricae l. III c. 2 p. 1404 b 3 dicit ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι . . . καὶ μήτε ταπεινὴν μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρέπουσαν, idque paululo latius exponit v. 15: ἐπεὶ καὶ ἐνταῦθα, εἰ δοῦλος καλλιεποῖτο ἢ λίαν νέος, ἀπρεπέστερον ἢ περὶ λίαν μικρῶν, cf. p. 1405 a 13. unde vero oratio decora reddatur, accurate explicat c. 7 p. 1408 a 10: τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον κτέ.: en habes ipsius Agatharchidis doctrinam, qui ut decenter nuntientur res, praescribit, ut scriptor rebus accommodate dicat. — secundo loco laudat Agatharchides eos scriptores, qui in gravissimis rebus propriis et consuetis verbis uti non fugiant, hac quoque in re Aristotelem secutus, qui ut oratio sit clara et decora, vetat poetarum verba adhiberi p. 1404 b 28: γλώτταις μὲν καὶ διπλοῖς ὀνόμασι καὶ πεποιημένοις ὀλιγάκις καὶ ὀλιγαχοῦ χρηστέον (. . . ἐπὶ τὸ μεῖζον γὰρ ἐξαλλάττει τοῦ πρέποντος), τὸ δὲ κύριον καὶ τὸ οἰκεῖον καὶ μεταφορὰ μόναι χρήσιμαι πρὸς τὴν τῶν ψιλῶν λόγων λέξιν.[4])

Paululo accuratius de evidentia nobis disserendum est, quae res ante oculos proponit legentium (Agath. p. 120, 45).

---

[1]) οἱ δ' ἐμβριθέστερον, τὰ συνήθη καὶ τὰς κυριολογίας ἐν τοῖς δεινοῖς οὐ πεφευγότες (119, 28).

[2]) οὐ γὰρ ἄν τις τῇ γνώμῃ δισταγμὸν ἐνεργάσηται, ἐκεῖσε ἀπὸ τοῦ λόγου τὸ δεινὸν ἀφῆκε· διὰ τί; ὅτι τὸ ῥηθὲν ἐν τῷ σαφῶς γνῶναι καὶ τὴν συμπάθειαν ἔστι λαβεῖν· ὁ δ' ὑστερήσας τοῦ σαφοῦς ἀπολέλειπται καὶ τῆς ἐναργείας, cf. 120, 7; 120, 45; 122, 13.

[3]) ὅτι τὸ ῥηθὲν ἐν τῷ σαφῶς γνῶναι καὶ τὴν συμπάθειαν ἔστι λαβεῖν (120, 9); τὸ δεινὸν γὰρ εὐνοίᾳ παρατεθὲν ἐμβριθεστέρους εἴωθε τοὺς οἴκτους ποιεῖν (121, 45); ὅπως ὁ πλεῖστος οἶκτος τοῦ παραδόξου τεθέντος μᾶλλον τῶν ἀκροωμένων ἐκκαλέσηται τὸ πάθος (122, 20).

[4]) Etsi nonnumquam majorem orationis ornatum posse adhiberi non negat, cf 1408 b 11.

De evidentia Dionysius in Lys. jud. c. 7 p. 465 haec habet: αὕτη (sc. ἡ ἐνάργεια) δέ ἐστι δύναμις ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις ἄγουσα τὰ λεγόμενα, quocum conferas Anonymum περὶ ῥητορ. ap. Speng. I 439, 10: ἔστι δὲ ἐνάργεια λόγος ὑπ' ὄψιν ἄγων τὸ δηλούμενον. [1]) contra Tryphon περὶ τρόπων haec habet (ap. Speng. III 199, 21): ἐνέργειά ἐστι φράσις ὑπ' ὄψιν ἄγουσα τὸ νοούμενον ... ἔχονται δὲ τῆς ἐνεργείας καὶ αἱ τοῦ Ὁμήρου παραβολαί, quocum Aristoteles congruit, qui p. 1410 b de urbanitate disserens eam tribus potissimum rebus effici affirmat, translatione, oppositione, ἐνεργείᾳ (1410 b 36), quae πρὸ ὀμμάτων ποιεῖ (v. 34). vides quantam similitudinem inter se exhibeant loci quos attuli, ut suo jure Matthaei ad Dionysium l. c. p. 465 Reiske ἐνέργειαν et ἐνάργειαν ita distinxerit, ut ἐνέργεια rerum, ἐνάργεια orationis virtus sit. Aristoteles quidem nusquam loquitur de evidentia [2]), sed e locis allatis cognosci posse puto evidentiam ad Aristotelis doctrinam quadrare. evidentia vis est ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις ἄγουσα τὰ λεγόμενα (Dionys. et Agath.), quocum conferas Aristotelem p. 1405 b 12; 1411 a 26, 27; 1411 b 4, 8, 23 ss.: plane eandem orationis vim laudat Aristoteles, quam Dionysius in Lysia, in Demosthene Agatharchides invenisse sibi visi sunt. accedit aliud. Dionysius l. c. addit haec γίνεται δ' ἐκ τῆς τῶν παρακολουθούντων λήψεως, quibuscum conferas quae dicit Demetrius c. 217: γίνεται δ' ἐκ τοῦ τὰ παρεπόμενα τοῖς πράγμασι λέγειν ἐνάργεια (Agatharchides p. 119, 17: ὧν ὁ τρόπος οὐ λίαν γένοιτ' ἂν ἐμφανής, εἰ μή τις ὑποτάξαιτ' ἂν ἀκόλουθον αἰτίαν τοῖς ἐμφανιζομένοις). et Dionysius et Demetrius multa e Peripateticorum thesauris sibi deprompserunt, ut veri videatur simillimum esse eos, cum uterque in eandem sententiam inciderit, Theophrasti libros secutos esse. Agatharchides igitur et ipse, cum orationis evidentiam postulavit, Peripateticos secutus est.

Quod denique Agatharchides praecipit, ut legentium

---

[1]) Alios locos conferas apud Spengelium II p. 46, 15; 161, 11; III p. 251, 24.

[2]) Codices nonnumquam habent ἐνάργειαν; mendum id esse evincitur verbis ἡ δ' ἐνέργεια κίνησις p. 1412 a 8.

animi misericordia commoveantur, etiam hac in re quam proxime abest ab Aristotelis praeceptis, qui laudat orationem magnificam ad tragicorum modum expressam, quia auditorum animos afficiat, quo magis credant oratori etsi fortasse nil dicenti (v. p. 1408a 20, 1408b 13).

Quamquam Aristoteles cum praescriberet, ut dictio esset pathetica, solas orationes ad populum vel ad judices habitas in animo habuisse et historiam omnino non curasse videtur. sed vivo adhuc Aristotele primus Peripateticorum avunculi praecepta in historiam traduxit Callisthenes, qui fragm. 19.[1]) dicit δεῖν τὸν γράφειν τι πειρώμενον μὴ ἀστοχεῖν τοῦ προσώπου, ἀλλὰ οἰκείως αὐτῷ τε καὶ τοῖς πράγμασι τοὺς λόγους θεῖναι· vides Aristotelis verba historiae accommodata esse: τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. Callisthenem mox alii imitati sunt, imprimis Duris Theophrasti discipulus, qui Photio teste accuratius sententiam suam de rebus narrandis exposuit in prooemio „historiarum", cujus haec sunt servata verba: Ἔφορος δὲ καὶ Θεόπομπος τῶν γενομένων πλεῖστον ἀπελείφθησαν· οὔτε γὰρ μιμήσεως μετέλαβον οὐδεμιᾶς οὔτε ἡδονῆς ἐν τῷ φράσαι, αὐτοῦ δὲ τοῦ γράφειν μόνον ἐπεμελήθησαν (fr. 1 in F. H. G. II p. 469). quae verba diversum in modum interpretati sunt viri docti. primum enim τῶν γενομένων vertit Müllerus „antiquioribus scriptoribus" Casaubonum secutus, qui scribendum esse censuit τῶν προγενομένων. at neque emendatione opus est neque recta est Mülleri interpretatio, immo sunt res gestae, quibus inferiores fuerint Ephorus et Theopompus.[2]) plane idem igitur poscit Duris a rerum scriptore ac Callisthenes, qui dicit δεῖν ... οἰκείως ... τοῖς πράγμασι τοὺς λόγους θεῖναι. — neque

---

[1]) In Mülleri Scriptoribus rerum Alexandri magni p. 17.

[2]) Ne haereas in verbis τῶν γενομένων ἀπελείφθησαν, conferas Agatharchidem plane eodem modo dicentem: ὁ δ' ὑστερήσας τοῦ σαφοῦς ἀπολέλειπται καὶ τῆς ἐναργείας. ad sensum intellegendum conferas eundem: τῆς δὲ τῶν ὑποκειμένων ἀξίας οὐ στοχάζεται (120, 2) et ὅθεν οὐ λίαν ἅπτεται τοῦ προκειμένου (120, 29).

quae verba secuntur αὐτοῦ δὲ τοῦ γράφειν μόνον ἐπεμελήθησαν, omnes viri docti recte interpretati sunt. quaeritur quid significet verbum γράφειν. fuerunt qui crederent, Duridem Isocrateos illos arguisse, quod nil curarent nisi ipsum scribere.[1]) at omnium consensu Ephorus et Theopompus imprimis orationis ornatui operam navarunt et Duridem Dionysius Halicarnassensis p. 30, 5 ed. Reiske (de comp. verb. c. 4) inter eos scriptores recenset, qui verborum compositionem plane neglexerunt. itaque verbum γράφειν altero sensu usurpatum esse debet, quem Dionysius subindicat, cum in epistula ad Ammaeum c. 4 dicit: ἕτερος (sc. ἄγων) . . . χαριέστατος ἁπάντων τῶν λόγων καὶ γραφικώτατος, quem locum vertit Reiske p. 724: oratio elegantissima et maxime ornata.[2]) qua re Duris Ephoro ac Theopompo vitio dat, quod soli orationis ornatui, comprehensionum dignitati operam navarint, itaque neque rerum dignitatem, quae imitatione petenda sit, neque voluptatem assecuti sint.

Jam vero si quaerimus, quomodo Callisthenes Durisque Peripatetici et rebus personisque accommodate scripserint et imitationem lectorumque voluptatem assecuti sint, quodam modo eorum scribendi rationem e fragmentis quae adhuc exstant cognoscere possumus. ac primum quomodo personarum naturam indolemque reddere conati sint, quodam intellegi potest e Duridis fragmentis 61—63, quibus Alcibiadis ingenium describere studet. fr. 63 enim narrat Timaeam Agidis Lacedaemoniorum regis uxorem filium, quem ex Alcibiade conceperat, Alcibiadem, non

---

[1]) Cf. Blass, Die attische Beredsamkeit von Alexander bis auf Augustus p. 47.

[2]) Eodem sensu usurpat verbum γραφικὸν Plutarchus de glor. Athen. c. 3 p. 347 C: ἴσα τῇ δόξῃ περιδεῶς συμπνέων τῇ διαθέσει καὶ τῇ διατυπώσει τῶν γινομένων γραφικῆς ἐναργείας, cf. etiam vit. Alex. c. 17. quin Aristoteles et ipse secernit λέξιν γραφικὴν καὶ ἀγωνιστικήν, easque p. 1413 b 15 ita inter se opponit, ut γραφικὴ λέξις fere eadem sit atque ἐπιδεικτικὴ λέξις, cf. p. 1413 b 15 ss. quamquam apud Aristotelem vocabulum γραφικὸν nondum omnino spernit scribendi significationem.

Leotychidam nominare solitam esse, contra Alcibiadem dixisse se non libidinis causa cum Timaea coiisse, sed id affectantem, ut Spartani ab ipsius prole regerentur; fr. 61 narrat aliorum mendacia secutus Alcibiadem Eupolin poetam in mare dejecisse quippe in fabulis ab eo derisum; fr. 62 vividissimis coloribus describit Alcibiadem ex exilio in patriam redeuntem: quas narratiunculas si legeris, concedes optime iis scriptorem viri ingenium animique superbiam et magnificentiam nobis ante oculos proposuisse. eodem modo Phocionis Atheniensis probitatem, Demetrii Poliorcetae morum perversitatem, Atheniensium qui tunc erant blanditias descripsit, ut nunc etiam e fragmentis 22-23, 30-31 intellegi potest.

Neque minus rerum gravitatem digne pronuntiare studebant Peripatetici. cum enim de Leuctrica pugna ageret Callisthenes, quae Lacedaemoniorum potentiam funditus everterat, accurate enarravit omnia oraculorum responsa portentaque, quibus paulo ante pugnam Lacedaemoniorum calamitas praenuntiata esset (fr. 9): in Herculis fano arma sonuisse ipsiusque dei simulacrum multo sudore manasse; Thebis in templo Herculis subito valvas sese ipsas aperuisse armaque in parietibus fixa humi inventa esse; gallos gallinaceos Boeotios cecinisse et quae cetera credulos lectorum animos timore afficere poterant. — eodem modo cum narraret Alexandrum a sacerdotibus Jovis filium appellatum esse, rem tragice exaggerans, ut ait Plutarchus, addidit fontem, qui in Branchidarum templo erat, tunc temporis denuo scaturiisse et Apollinem post longum intervallum primum responsa dedisse de Alexandro deo, de futura apud Arbela victoria aliisque rebus: quin Athenaïdem Sibyllam effatam de Alexandri generis nobilitate (fr. 36). — paulo aliter Duris rem gessit; qui cum Atheniensium crudelitatem describeret, finxit summos Samiorum cruciatus: triremium praefectos decem dies tabulis alligatos tandem jam moribundos illisis in capita lignis necatos corporaque insepulta projecta esse.

sane tali narratione optime descripsit Atheniensium crudelitatem et lectorum misericordiam excitavit, veritatem vero longe dereliquisse videtur, cum neque Thucydides neque Ephorus neque Aristoteles, ut ait Plutarchus, talia narrarent.

Quod denique lectorum voluptati studebant Peripatetici, eam non solum naturae imitatione vividisque narrationis coloribus assequebantur, sed etiam narrationis ubertate varietateque, ut Duris in libris de Agathoclis historia verba facit de Libye tibiae inventore, de Lamia quadam muliere, de Penelope ab omnibus procis compressa, de Galatea, aliis, ut vix unum vel alterum fragmentum prope ad librorum argumentum accedat. — Ut Duris, item Callisthenes lectoris voluptatem sectatur. in Hellenicis data occasione Nili incrementi causas perscrutatur (fr. 6); cum de Helice urbe agat in mare demersa, terrae motus causas docere conatur (fr. 8); in historiis Persicis ubique longius disseruit de terrarum situ populorumque historia; sic fr. 20 narrat Sardes urbes primum a Cimmeriis, multis annis post a Cyro Persarum rege expugnatas esse; fr. 22 Miletum non solum ab Alexandro in summas miserias incidisse, sed olim jam a Persis tempore belli Ionici deletam esse; quin addidit, Phrynichum tragicum mille drachmis ab Atheniensibus mulctatum, quod fabulam fecisset Μιλήτου ἅλωσιν nominatam; fr. 23 agit de Carum Lelegumque rebus gestis, confer etiam frr. 28—32, 34, 38: sic per omnes historiarum libros rerum ubertate legentium animos delectari studuit.

Peripateticorum in modum etiam Phylarchus historias suas composuit, id quod, etsi nullo veterum testimonio proditum est, e fragmentis luculenter demonstrari potest: sat habeo commemorasse famosam illiam narrationem, qua nobis descripsit Ptolemaeum Philadelphum (fr. 40a); quem, etsi omnium regum praestantissimus omnibusque humanioribus disciplinis eruditissimus esset, tamen ita mente captum fuisse importuno luxu, ut sempiternam sibi vitam fore crederet; at cum articulari quondam pedum morbo

cruciatus Aegyptios quosdam vidisset juxta flumen in arena decumbentes cibumque qui forte aderat capientes, O me miserum, dixisse, qui non sim horum unus. — imprimis vero Polybii verba commemoranda sunt, qui vehementer increpat Phylarchum l. II c. 56, 7: σπουδάζων δ᾽ εἰς ἔλεον ἐκκαλεῖσθαι τοὺς ἀναγιγνώσκοντας καὶ συμπαθεῖς ποιεῖν τοῖς λεγομένοις, εἰσάγει περιπλοκὰς γυναικῶν καὶ κόμας διερριμμένας καὶ μαστῶν ἐκβολάς, πρὸς δὲ τούτοις κτέ. ac pergit quasi in universum Peripateticorum historiae scribendae rationem rejiciens: ποιεῖ δὲ τοῦτο παρ᾽ ὅλην τὴν ἱστορίαν, πειρώμενος ἑκάστοις ἀεὶ πρὸ ὀφθαλμῶν τιθέναι τὰ δεινά . . . δεῖ τοιγαροῦν οὐκ ἐκπλήττειν τὸν συγγραφέα τερατευόμενον διὰ τῆς ἱστορίας τοὺς ἐντυγχάνοντας οὐδὲ τοὺς ἐνδεχομένους λόγους ζητεῖν καὶ τὰ παρεπόμενα τοῖς ὑποκειμένοις ἐξαριθμεῖσθαι καθάπερ οἱ τραγῳδιογράφοι, . . . τὸ γὰρ τέλος ἱστορίας καὶ τραγῳδίας οὐ ταὐτόν, ἀλλὰ τοὐναντίον.

Jam vero ad Agatharchidem si redimus, statim apparet, quam arte Peripateticorum scribendi rationem secutus sit. in quinto libro operis de mari erythraeo postquam Asianorum frigidas sententias refutavit, metalla describere coepit in Aethiopiae Aegyptique finibus sita vividisque coloribus depinxit operariorum aerumnas. damnatos enim et bello captos aliosque id generis homines reges Aegyptii ad acerbissimam aurifodinarum servitutem — talibus enim verbis utitur — ducunt, solos alios, alios cum uxore et liberis, ibique eos compedibus alligatos dies noctesque nulla concessa quiete sub perpetuis praefecti verberibus maximos labores suscipere cogunt. viri enim robore et aetate excellentes in aurifodinis marmor auro refertum perfringunt, non arte, sed vi ferri ictus administrantes, neque fragmenta abscisa suo quisque corporis habitu et situ in solum dejiciunt, quamquam propter varios auri venarum cursus cuniculos modo rectos modo transversos perfodere coguntur, sed praefecti oculum nutumque secuti nunquam verbera ab increpatione sejungentis. frusta abscisa pueri ad lucem proferunt, alii pinsunt, pinsita mulieres cum maritis aut parentibus in tristes hos locos abductae accipiunt, ut lapides molendo

farinam tenuissimam reddant. idque faciunt trinae ad unum molae manubrium adstantes tamque foede succinctae, ut vix pudenda subtegant. ac tantae sunt virorum mulierumque miseriae, ut mortem vita longe optabiliorem putent: en vides qualibus coloribus depinxerit Agatharchides horum hominum calamitates, ὑπερβολὴν οὐδενὶ τὸ πάθος δυστυχήματι καταλιπεῖν ἐκτραγῳδήσας, ut Photi verbis utar (124, 7).

Eodem modo describit Ichthyophagorum mores vivendique rationes, id demonstrare studens, eos quamquam tristissimam vitam degant, si quidem ad nostras vitae abundantias respicimus, beatos esse, naturae, non vanae opinionis judicium secuti. ut unum locum afferam, inspicias quaeso capita 37—39: cum ad maris oras aquae non inveniantur bibendo aptae, quinto quoque die viri feminae liberi infantes potus causa ad aquaria proficiscuntur, quae interiore terra nomades paraverunt. vasto agmine, ut boum greges, lusitabundi, quippe ad suavissimam pergentes recreationem, iter faciunt atque ubi ad fontes pervenerunt, aquaria in orbem circumstantes manibus humo connixi flexis genibus boum more bibunt et crebro interquiescendo adeo ventres replere solent, ut vix domum redire possint.

Neque aliter descripsit ceterorum Aethiopiae populorum mores, quos enumerare longum est, ipse legas Hylophagorum descriptionem (c. 51), elephantorum venationem dolo perfectam (c. 58), tauri carnes vorantis descriptionem (c. 76), imprimis vero draconis venationem quam narrat Diodorus l. III cc. 36 et 37, qua optime, etsi nimis rhetorice serpentis ferocitatem et immanitatem docuit. vide oculos ardentes, linguae strepitum, oris dentiumque magnitudinem, spirae orbes peraltos, quae omnia tantum venatoribus timorem injiciunt, ut duobus a dracone necatis celerrima fuga salutem petant. attamen auri cupiditate accensi iterum draconem aggrediuntur, etsi comminus occurrere non jam audent: sagittarii funditores equites

belluam jaculantur, alii tubas inflant, canum multitudo ipsum draconem adit: tali aspectu tubarumque clangore perterritum animal in carcerem praeparatum ingreditur, venatoribus eminus sequentibus, ne iterum damnum capiant. nostra quidem aetas contemnit talia pigmenta rhetorica, at creduli erant Agatharchidis lectores taliumque narrationum cupidi; optime igitur hac narratione serpentis immanitatem et ferocitatem depinxit, etsi veritatem longe dereliquisse videtur.

Etiam narrationum ubertati studuisse Agatharchidem, e Photi excerptis sat demonstrari potest. primo libro operis de mari erythraeo multis verbis refutat poetarum aliorumque scriptorum fabulas, bellum narrat, quod contra Aethiopes susceperunt Aegypti, Aristomenis orationem quam ad regem Ptolemaeum habuit operi geographico inseruit. libro quinto primum ampla disputatione disserit de falsa Asianorum dicendi ratione, deinde accuratissime describit Aegypti metalla operariorumque miserias: sed jam ipse legas quintum librum de mari erythraeo, ut intellegas, Agatharchidem magis fortasse quam virum geographum decebat, narrationum ubertate varietateque lectoris voluptatem sectatum esse.

Accurata descriptione et naturae imitatione rerum dignitatem sectatur Agatharchides, sed etiam ipsius orationis gravitatem et ornatum rebus narrandis adaequare studet. oratione admodum simplici describit metalla, Ichthyophagorum vitam, venatorum Troglodyticorum mores; quo gravior autem digniorque erat res, tanto graviore utebatur oratione, quod paucis exemplis illustretur. selangei operam simplicibus verbis describit, quae tamen non carent quodam numero: πολλάκις δὲ τοῖς ὕδασιν ἀποπλύνας ὁ καλούμενος σηλαγγεὺς μεταλαμβάνει σπόγγους μαλακοὺς καὶ πυκνούς, οἷς ἐφαπτόμενος τῆς μαρμάρου κούφως καὶ θλίβων ἐπὶ ποσὸν τὸ μὲν ἐλαφρὸν καὶ χαῦνον ἐμπλεκόμενον τοῖς ἀραιώμασιν ἀπὸ τῆς σήραγγος ἀναφέρει καὶ ἐκρίπτει, τὸ δὲ ἐμβριθὲς καὶ στίλβον ἐπὶ τῆς σανίδος ἀποκεκριμένον ἀπολείπει, δυσκινήτου διὰ τὸ βάρος τῆς τοιαύτης φύσεως ὑποκειμένης (p. 127, 15—23 Müll.)

multo tenuiore stilo narrat de Erythra Persa, a quo mare erythraeum nomen accepisse contendit: γίνεταί τις κατ' εὐτολμίαν καὶ πλοῦτον εὐδοκιμῶν Ἐρύθρας ὄνομα, γένος μὲν Πέρσης, υἱὸς δὲ Μυοζαίου, κατοικῶν δὲ θαλάττης μὲν οὐ πόρρω, κατεναντίον δὲ νήσων ἐρήμων οὐσῶν, οὐ νῦν, ἀλλ' ἐπὶ τῆς Μήδων ἡγεμονίας· τότε γὰρ καὶ ὁ Ἐρύθρας ἐγνωρίζετο, ὅς κτέ. (p. 113, 4—9). vides nihil fere coloris inesse his verbis, nisi quod suo more antitheton quod Graeci dicunt adhibuit; sunt verba summissa et tenuia neque abhorrent a communi dicendi ratione. at comparanti Arabiae felicis descriptionem statim apparet, quomodo rerum dignitati verba accommodare consuerit scriptor, legas quem adscribam locum (p. 187, 9): . . . ὥστε πολλοὺς εἰς λήθην ἀφικομένους τῶν θνητῶν εὐτυχημάτων τῆς ἀμβροσίας ὑπονοεῖν ἀπολαμβάνειν, ὄνομα τοῦ πράγματος ἐπιζητοῦντος οἰκεῖον τῆς ὑπερβολῆς. (c. 98) περὶ δὲ τοὺς δρυμοὺς τῶν εὐωδῶν γένος ἐστὶν ὄφεων ἰδιώτατον πάντων, οἱονεὶ φθονούσης τοῖς ἁδροῖς ἐπιτεύγμασι τῆς τύχης καὶ παραπλεκούσης τἀγαθῷ τὸ βλαβερόν, ὅπως μηδεὶς εἰς τέλος ἐξυβρίζων τιτανῶδες καὶ κατεγνωκὸς τοῦ θείου τὸ φρόνημα λαμβάνῃ τῶν ἀγαθῶν εὐτυχούντων, παιδεύηται δὲ τῇ παραθέσει καὶ μνήμῃ τῶν ἐναντίων.

Ad singula si transimus, primum examinemus, quomodo Aristotelio illo pigmento, dico translationibus, quas maximum ornatum orationibus praebere et urbanas — si ἀστεῖον ita vertere licet – eas reddere affirmavit Aristoteles, Agatharchides usus sit. Photius quidem cod. 213 tradit, eum per omnes libros translationibus usum esse iisque lectoris animum permulsisse. quod etiam ad libros geographicos spectat, in quibus non raro invenimus translationes adhibitas, vide τὰς τῶν δυναστῶν φιλίας ὁ καιρὸς σφραγίζεται καὶ λύει (117, 37); ὁ φθόνος πικρὸν τὸ βέλος ἀφείς (118, 47); τὴν ἔνδειαν παραμυθοῦνται (140, 10); οὕτως ἔχει τι φίλτρον μέγα πᾶσα συνήθεια καὶ νικᾷ τὴν ἀπὸ τοῦ περιέχοντος δυσχέρειαν ὁ χρόνος ὁ τὴν πρώτην δεξάμενος εἰς τὸν βίον ἡλικίαν (157, 17); λαλίαν σιγᾶν αἰσχυνομένην (193, 3). imprimis autem in iis operis partibus, quibus res graves tractavit Agatharchides, translationes inveniuntur, sicut c. 49, quo Ichthyophagorum vitam summis laudibus effert, has

habes translationes: τὸ ζῆν ὑπερτείναντες προςπταίσμασι τοῦ βίου μετροῦσι τὴν λύπην; ἐνοχλεῖ δ' ἕκαστον οὐ τὸ ἀγνοούμενον, . . . ἀλλὰ τὸ βουλητόν, ὅταν ὑστερίζῃ τοῦ καιροῦ; τῆς ἐπιθυμίας σπευδούσης; κατὰ τὸν τῆς φύσεως λογισμόν, οὐ κατὰ τὸν τῆς δόξης.

Neque alios tropos aspernatus est; inversionem habes: τὰ τῇ φύσει κεχωρισμένα τῇ προνοίᾳ συναγαγεῖν ὑπὸ μίαν οἴκησιν (111, 3); intellectionem τὸ μὲν ὑγρὸν διὰ τῶν λίθων . . . ἀπορρεῖ (131, 3, cf. 134, 1); abusionem: τὴν χάλικα τῶν ῥιπτουμένων . . . συλλέγοντες ἐκτὸς τῶν στομίων κομίζουσιν (126, 2); antonomasiam: Σφίγγα δὲ τοῖς Θηβαίων παισὶν αἴνιγμα προβάλλουσαν (114. 6, cf. 44). sed talia raro inveniuntur ac plerumque sermoni cottidiano deberi videntur, contra saepissime circumlocutione quam dicunt utitur, ut καταμερίζεται τῇ τῶν ἀτυχούντων ἀνάγκῃ (125, 10); τῇ Φοινίκων φιλεργίᾳ κατεσκευάκασι λυσιτελεῖς ἐμπορίας (190, 2); τὸ πρᾶγμα, ὃ συμβαίνει τοῖς περὶ τὰς αἰσθήσεις εἰληχόσι τοῦ γένους τὴν δοκιμασίαν (187, 3); μάχῃ δὲ χρώμενον (160, 18); συστολὴν λαμβάνειν (123, 11); sed ut singula omittam, imprimis nonnullas voces quam saepissime adhibuit, dico φύσιν, διάθεσιν, τάξιν, γένος, πλῆθος, ἀριθμόν, συμβαίνειν, quae fere ubique omitti possunt.

Jam vero ad verborum orationisque figuras ut transgrediar, contentiones quidem quas ἀντίθετα vel ἀντιθέσεις appellabant Graeci, quam maxime in deliciis habuit Agatharchides, Isocrateorum sectam secutus, etsi ne hic quidem a Peripateticorum legibus recessit, ut docet Aristoteles tertii artis rhetoricae libri capite 10, ubi contentiones urbanitatem efficere ait, conferas capitis verba haec: ἡδεῖα δέ ἐστιν ἡ τοιαύτη λέξις, ὅτι τἀναντία γνωριμώτατα καὶ παρ' ἄλληλα μᾶλλον γνώριμα (p. 1410 a 21).[1] contra adnominationes, similiter cadentia, similiter desinentia, comparia quae dicuntur verborum figurae raro inveniuntur, modo eos locos excipias, quibus fortuito, non e scriptoris volun-

---

[1]) Cum Aristotele non pugnat Theophrastus apud Dionysium de Lys. jud. 5 p. 484 s.; neque enim contentiones, sed comparia et similia reprobat, vide τούτων δὲ (sc. τῶν ἀντιθέσεων) τὸ μὲν ἴσον καὶ ὅμοιον παιδιῶδες καθαπερεὶ ποίημα.

tate verba tales figuras exhibeant. consulto scripsisse videtur Agatharchides ὥστε πρότερον ἀπαμαυροῦσθαι τοῦ φυτοῦ τὴν χρείαν ἢ πρὸς ἡμᾶς παραπέμπεσθαι τοῦ γένους τὴν δύναμιν (186, 14): est compar, quod παρίσωσιν appellat Aristoteles p. 1410a, 25. nonnulla alia afferri possunt, ut τῆς μὲν ἰδέας πᾶσιν ὁρωμένης, τοῦ δὲ πάθους οὐ πᾶσι γινωσκομένου (112, 6); ἡδονῆς μὲν καὶ πόνου φυσικὴν ἔχοντες γνῶσιν, αἰσχρῶν δὲ καὶ καλῶν οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην εἰςφερόμενοι ἔννοιαν (130, 7); quodam modo huc spectat ἅπαν ἐπίτευγμα μεσότητι μὲν καὶ τάξει κυβερνώμενον παραπέμπει τὸν βίον, συμμετρίας δὲ καὶ καιροῦ στερηθὲν οὐκ ἔχει τὴν κτῆσιν ὀνησιφόρον (188, 15). exstant alia quoque exempla, quae tamen fere omnia ita comparata sunt, ut facile intellegi possit, non consulto scriptorem usurpare tales dicendi formas. [1]) uno vero loco et compar et similiter desinens una composuit auctor, legas (116, 25): τὸ μὲν Ἀθηνᾶς μέγεθος εἰς χελιδόνος συγκαταβῆναι φύσιν (ὄγκον codd.), τὸ δὲ τοῦ Διὸς ἀξίωμα εἰς κύκνου καταστალῆναι τάξιν, τὸ δὲ τῆς Δήμητρος κάλλος εἰς τὴν αἰσχίστην μετασταθῆναι διάθεσιν. at locus non admodum urgendus est, cum exstet in ampla illa fabularum enumeratione, in qua scriptor varias dicendi formas arripuit, ne languesceret oratio.

Neque ceteras verborum figuras in deliciis habuit Agatharchides; paucis quidem locis invenitur repetitio, ut εὗρε μὲν τοὺς ἵππους, εὗρε δὲ τὸν νομέα (113, 26, cf. 130, 5; 140, 20); regressionem, quam ἐπάνοδον vocant Graeci, fortasse habemus his verbis: ὁ δὲ βασιλεύων τοῦ παντὸς ἔθνους προεδρίαν ἔχει παρὰ τοῦ λάου, τῇ μὲν ἔντιμον, τῇ δὲ ἀκληροτάτην· ἔντιμον μὲν ὅτι . . ., ἄκληρον δὲ ὅτι . . . (p. 189, 1). denique epanastrophen habes: τὸν δὲ Ἥλιον διὰ τὰς Ἀτρέως εἰς Θυέστην πράξεις τὴν μὲν δύσιν ἀνατολὴν ποιῆσαι, τὴν δὲ ἀνατολὴν δύσιν, p. 116, 14 confer p. 114, 20: utroque loco dictio ipsa re

[1]) Hac enim in quaestione non neglegenda sunt Caecili verba apud Photium cod. 259 p. 485b 30 ss.: οὐ τοῦτο λέγω, ὡς οὐδὲν εὑρίσκεται διανοίας παρὰ Ἀντιφῶντι σχῆμα· καὶ γὰρ ἐρώτησίς που καὶ παράλειψις καὶ ἕτερα τοιαῦτα ἔνεισιν αὐτοῦ τοῖς λόγοις· ἀλλὰ τί φημι; ὅτι μὴ κατ' ἐπιτήδευσιν μήτε συνεχῶς ἐχρήσατο τούτοις, ἀλλ' ἔνθα ἂν ἡ φύσις αὐτὴ μεθοδείας τινὸς χωρὶς ἀπῆγεν κτέ.

postulatur. aliter sese habent, quae leguntur p. 126, 16, sed nescio an verba non genuina sint.

Ad sententiarum figuras si transimus, haud ita saepe eas invenimus adhibitas, ut intellegi possit, Agatharchidem eas non captasse; omissionem habemus p. 121, 37; sarcasmum 120, 48; 121, 35; illusionem 120, 42; exclamationem cum illusione conjunctam 121, 26; interrogationem 141, 9; 142, 15; interrogationem gravissimam cum repetitione conjunctam 117, 7—16. imprimis autem interrogationes exstant in Aristomenis oratione cc. 11—17, quae multo pluribus verborum sententiarumque figuris ornata sunt; quinque enim insunt interrogationes, exclamationem habes 117, 28; scatet sententiis, quae ceteris excerptorum locis non admodum saepe inveniuntur; contentiones permultae insunt; translationes habes 117, 34, 35, 37; 118, 43, 46; fortasse etiam adnominationes invenies in his verbis: τίς γὰρ οὕτως ἄβουλος, ὃς τὸ δοκοῦν αὐτῷ παρ' ἑτέρου βούλεται μαθεῖν καὶ ποιεῖν τὸν σύμβουλον τῶν ἀπορουμένων συνήγορον τῆς ἐπιθυμίας (117, 44), et τὰς ἀδήλους ἐλπίδας τῶν προδήλων κινδύνων πλέον εὐλαβεῖσθαι (118, 8). sane multis coloribus illustravit Agatharchides hanc orationem, sed fortasse non male gravitatem appetivit ut in viro sene, qui gravibus sententiis juvenem adhortari et blanditores arcere studebat.

Ad periodorum constructiones si vertimur, non multa adnotanda sunt. quam maxime enim in periodis perspicuitatem sectatur et ita omnia sunt parata, ut facile totius enuntiati sensus intellegatur, quasi Aristotelis verba sequi voluerit Agatharchides: δεῖ δὲ ἕως μέμνηται ἀνταποδιδόναι ἀλλήλοις καὶ μήτε μακρὰν ἀπαρτᾶν μήτε σύνδεσμον πρὸ συνδέσμου ἀποδιδόναι τοῦ ἀναγκαίου (p. 1407 a 24 l. III c. 5). itaque ubi plura interposuit quam ut constructio facile perspici possit, constructione omissa ad ea quae priore loco dixit reversus ἀνακόλουθον quod Graeci dicunt admittit; legas quaeso: ὅτι πλησίον τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καθ' ὃν ὁ Νεῖλος πολλὰς ἐκτροπὰς καὶ παραφορὰς ποιούμενος ὅμως ἐκεῖσε ἀποκάμπτει περιφανῶς καὶ . . . κατὰ γοῦν τὴν εἰρημένην θάλατταν πλησίον ἐστί τινα κτέ., p. 123, 4 ss., cf. 141, 11; 146, 19; 155, 5;

etiam p. 130, 19 quodam modo comparari potest. itaque participia quae dicuntur et eas enuntiati partes, quae conjunctionibus reguntur, si plura sunt aut longius spatium amplectuntur, in fine sententiae ponere solet, cf. 128, 16 ss.; 125, 14; ut omnino in deliciis habuisse videtur sententias genetivo absoluto quem dicere solemus concludere, ut 124, 2; 127, 22; 155, 20; constructione postulatur genetivus 128, 23.

Perspicuitatem dixi sectatum esse Agatharchidem, attamen paucis locis obscurius locutus est quam ut loci sententia facile intellegatur, ut 125, 3—7 [1]), ubi antitheton adhibuit, quod non quadrat ad loci sententiam. eodem modo obscure loquitur 137, 8 (ὥστε ὁμογενοῦς ὄγκου καὶ μίαν φύσιν ἔχοντος διὰ τὴν μῖξιν καὶ συμπλοκὴν τῆς ἄμμου μηδὲν παραλλάσσειν) et 120, 9 (ὅτι τὸ ῥηθὲν ἐν τῷ σαφῶς γνῶναι καὶ τὴν συμπάθειαν ἔστι λαβεῖν): utroque loco sententia verborum locatione obscura redditur, ut omnino verbi transgressionem magis fortasse quam decet adhibuit, cf. 116, 20: Διόνυσον δὲ ὑπὸ Λυκούργου διὰ φόβον καταδιωχθέντα εἰς τὴν θάλατταν πρὸς Θέτιν καταφυγεῖν; 154, 15: πᾶν τὸ τοῖς λοιποῖς μέρος περιτομῆς τυγχάνον; 190, 14: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἕως τοῦ καθ' ἡμᾶς παρ' αὐτοῖς ἐπαγγέλλεται βίου.

Rationes grammaticas semper fere observavit Agatharchides, lepide enim et perspicue scribere voluit. tamen paucis locis liberius egit, conferas imprimis p. 154, 10—16, ubi ter repugnat severis quidem regulis grammaticis. at nullo alio loco tantam scribendi libertatem inveni. — in modis utendis plerumque non decessit a solito scribendi more, paucis tamen locis non sibi constitit; sic scripsit τοὺς μὲν ὅπως . . . χρήσαιντο, τοὺς δὲ ἵνα . . . νυμφεύσωσι (114, 24); πρίουσιν ἕως ἂν μήτε κλίνῃ . . . μήτε ἀπολείποιτο, μένῃ δὲ κτέ. (147, 7); ὅταν . . . ἡ πλημμυρὶς . . . φέροιτο . . ., ἐπικαλύπτει . . ., ἐπὰν δὲ . . . τὸ τῆς ἀμπώτεως ἀναδύῃ, ἀπορρεῖ (130, 19); κρατεῖ γὰρ ὁ μῶμος . . ., ἐπειδὰν ὁ φθόνος . . . προκατειργάσατο (118, 47);

---

[1]) Diodorus III 12, 4 docet Photium ipsum Agatharchidem reddere.

cf. 116, 23; 122, 20; 155, 14. [1]) neque magis sibi constitit in temporum ratione, immo in temporibus usurpandis liberrimus est [2]): sine ullo discrimine praesens tempus cum aoristo quod dicimus conjunxit, vide ἠλαύνοντο, ἐνήχοντο, ἐξεκυμάνθησαν, διεσώθησαν (113, 15—20); παραδίδωσι, ἐνέβαλον, ἕψουσιν, κατήρασαν (128, 2—10); ἐπέρριψαν, στρέφουσι (131, 13), conferas etiam 133, 21—23; 140, 22—141, 1; 142, 2—6; 146, 12—14; 154, 22—23; 155, 12—13; 156, 1—5 etc. — futuro tempore usus est: εἰ δέ ποθ' ἑκατέρα αὐτοὺς σίτησις ἐπιλείψει (133, 5); οὓς ἢ νόσος . . . ἢ μελῶν τινος πήρωσις ἀχρήστους παρασκευάσει (156, 7); ἐκεῖνος πάντ' ἔχων ἃ θέλει εὐτυχήσει (141, 7). — fortasse etiam notatu dignum est Agatharchidem pro accusativo graeco quem nonnulli viri docti dicunt, dativo uti solere; quod quamquam non ignoro jam antiquiores scriptores solitos esse et imprimis Herodotum, tamen vix crediderim eos tam amplo atque Agatharchidem modo dativum pro accusativo adhibuisse, vide τοῖς εἴδεσι καρτεροί; ἄπειρον τῷ πλήθει; μικραὶ τῷ μεγέθει; τῷ πλήθει ἀμύθητοι; τῷ ὕψει καταδεέστερος; ταῖς ψυχαῖς ἥμεροι; τριμερὴς τῇ φύσει: non opus est pluribus exemplis, quae acervatim adsunt paucas Agatharchidis paginas legenti.

Quod verborum electionem attinet, multum distat Agatharchides ab Atticorum usu, et falsissimus est Photius, cum dicit atticistam eum fuisse [3]): immo quam maxime

---

[1]) Cf. Friedericum Kaelker. Quaestiones de elocutione Polybiana, in Leipziger Studien t. III pp. 288—289.

[2]) Id. ibid. p. 266.

[3]) c. 62 Müll. enim dicit Photius: ὅτι κέχρηται ὁ συγγραφεὺς ἀττικιστὴς καίτοι ὢν τῇ τῆς καμάρας λέξει, quae verba varie interpretati sunt viri docti; alii intellegunt Camarae Creticae urbis dialectum, alii linguam Hamaricam gentis cujusdam Aethiopicae, ut Frieten l. c. p. 52/53. at falsissimae sunt hae sententiae; vituperat Photius Agatharchidem quod, etsi atticista sit, verbum καμάραν Atticis inusitatum usurpaverit: hunc enim sensum habent verba ἀττικιστὴς καίτοι ὤν. ceterum conferas quaeso Photi lexicon s. v. καμάριον: δωμάτιον καρωτόν· καὶ ὅλως ἡ καμάρα· Ἑλληνικὸν τὸ ὄνομα, vide Naberi adnotationem. neque ullo loco καμάραν vocem inveni apud Atticos, contra usurparunt Herodotus (I 199), Diodorus, Strabo, Galenus, alii id aetatis.

suam aetatem redolet. primum cum attico sermone vocabuli εἰρημένον usus qualem exhibet Agatharchides, minime congruit. fere semper enim significat quod οὗτος, nisi, quod saepe accidit, plane supervacaneum est; vide οὗτοι πάντες οἱ τὸν εἰρημένον τῆς τύχης κλῆρον ὑπελθόντες p. 127, 1, ubi τοῦτον aptum erat; pro αὐτὸς usurpatur 130, 14; supervacaneum est 131, 17. eodem modo permultis aliis locis usurpantur εἰρημένον, προειρημένον, ῥηθέν, conferas quaeso 123, 11; 128, 15; 130, 4; 133, 1; 134, 7; 137, 12; 139, 2; 140, 3; 141, 5; 154, 16; 160, 12; 171, 10. consulto eos locos omisi quos Agatharchidi derogare possis, cum celeriore illic calamo Photius auctorem exscripserit, ut 124, 6; 134, 23; 135, 1; 140, 4, 14; 141, 15; 142, 18; 143, 25; 144, 9 etc. quos locos utricumque assignare vis, libenter te concessurum spero, liberius hoc vocabulo usum esse Agatharchidem quam Atticos et plane consentire cum Polybio, de quo observationes fecit Kaelker l. c. p. 269—270. — contra pronomen οὗτος non eandem vim habet apud Agatharchidem atque apud Atticos; conferas οὕτως οὖν οὗτος ὁ σηλαγγεύς (128, 1); ὧν τὸ κρέας ὠμὸν τῆς ἐνδείας ἀναπλήρωσιν . . . ἔχουσι· τῆς δὲ χρείας . . . ἔτι τούτοις παραμενούσης (132, 13); confer etiam 133, 1; 166, 2. — eodem modo saepe plane supervacaneum est αὐτός, ut τὴν δ' ἄκανθαν σωρεύουσιν αὐτοί (131, 17); ὥστε τοῖς μὴ ἰδοῦσιν ἄπιστον αὐτοῖς τοῦ μεγέθους τὴν ὑπερβολὴν εἶναι (132, 11; comparanda sunt verba τῆς ζωῆς ἡμῶν ἡμῖν ἐφεστώσης p. 140, 13); αὐτοὺς ἐπελεύσομαι τῶν τόπων τοὺς μνήμης ἀξίους (166, 2).

In deliciis habuisse videtur praepositiones ἐξ et ἀπό, quas saepe usurpavit, conferas τόπον ἀπὸ τῶν ἐκεῖ θηρίων πρὸς ὀχύρωσιν ἐξειλεγμένοι (143, 3); ὁ δ' ἀπ' αὐτῶν ψόφος (155, 14); ἐνίοις τῶν ἀπὸ τῆς θαλάττης σιτουμένων (137, 23); πᾶν τὸ πῖπτον εἰς διαφορᾶς λόγον ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης (189, 27). multo vero crebrius usus est praepositione ἐκ, conferas τὸ ἐκ τῶν ἔργων δυνατόν (117, 40); τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων χάριτος (117, 26); πρὸς τὸν ἐκ δόξης ἔλεον (137, 19); ταῖς ἐκ τῶν παλιούρων λύγοις (154, 21); ἐκ τῶν κητῶν ἀποζῶσι (140, 6); ἐπὰν δὲ τὸ ζῷον ἐκ τῆς πληγῆς . . . πέσῃ (146, 2), alia.

Sed omnino multa verba adhibuit Agatharchides, quae sermoni Attico sive in universum sive eo quo ipse usurpavit sensu inusitata sunt, quae nunc enumerare liceat.

Primum quae a poetis sibi sumpsit, praeter alia haec sunt: ἀμέλγω (143, 7 et 159, 15; usurpatur pro „carpere, fructum carpere"); ἀναστηρίζω (119, 3); ἀνήλιος (192, 3); βοηδόν (133, 22); δέψω (132, 2); δούρειος (115, 44); δυσπροσόπτως (126, 15); ἐννεαπήχυς (114, 12); ἐννεόργυιος (114, 11); ἐνσκήπτειν (118, 42); ἐπορούω (113, 13); εὔορμος (181, 10); θήραμα (131, 5); λιθόλευστος (189, 6); μάνδρα (155, 15); μιλτῶδες (167, 7); νήχομαι (113, 18); περιπνιγές (161, 7); ποτίστρα (133, 20); τυπίς (125, 11); σκότιος (192, 5); φορτηγός (157, 3); φορτίζω (157, 3) [1]; χίλωμα (153, 15); χρυσόμαλλος (114, 27). [2]

Porro ea vocabula afferam, quae etsi Atticis inusitata tamen jam ab aliis scriptoribns inde a quinto usque ad alterum ante Christum saeculum in oratione pedestri usurpantur: αἱμορραγία (146, 2) [3]; ἀκληρία (180, 3); ἀναστροφή = vita, vitae condicio (134, 12); ἀνιστόρητον (149, 2); ἀπολέμητος (fr. 3); ἀσπιδοειδής (192, 19); διαφωνεῖν (175, 3 = perire); ἐγγίζειν (169, 3); ἐκτόπως (fr. 3); ἐξαδυνατεῖν (159, 8) [4]; ἐπικάρσιος (129, 5); εὐκλήρημα (179, 9); εὐκοπία (133, 15); εὐσταθής (188, 8); εὐτολμία (113, 4); κακουχεῖν (162, 14); κατάρρυτον (179, 3);

---

[1]) Apud Agatharchidem φορτίζεσθαι significare videtur „vehi" quam significationem alibi non inveni.

[2]) Non contenderim haec verba quae cum poetis communia habet, in oratione pedestri non esse usurpata ante Agatharchidis tempora, etsi non exstant in libris adhuc servatis: immo fortasse pleraque debentur communi linguae Graecae, quam κοινὴν appellare solemus.

[3]) Goetzeler, De Polybi elocutione p. 15 proclamat, Polybium, quippe qui nonnulla vocabula antea inusitata cum Hippocrate habeat communia, „illius libros diligentissime perlegisse eorumque nonnulla, quippe qui plurimum valeret memoria, hac comprehensa tenuisse." talem sententiam praeter ipsum neminem probaturum spero; putaverim enim quam maxime errare viros doctos qui contendunt, Polybium vel quemvis alium antiquiorum poetarum philosophorum medicorum libris lectitandis operam navasse, quod nonnulla vocabula quae exhibeant, apud illos scriptores inveniantur.

[4]) Goetzeler l. c. p. 11.

λεωπετρία (131, 20); μονομαχία (115, 42); μωκάομαι (120, 30); νευροκοπεῖν (145, 8): ὀνησίφορος (188, 17); παραμήκης (119, 3); προγονικόν (fr. 1) [1]); σάλος (181, 10); συναναστρέφομαι (136. 6 = una vivere); ὑπεργέμων (134, 5); ὑπερσαρκέω (fr. 6).

His subjungam ea vocabula, quae omnium auctorum qui adhuc exstant, Agatharchides primus usurpasse videtur: ἀπόβρεγμα (154, 8); ἀκαρτέρητον (150, 7); ἀραίωμα (167, 4); ἀστεϊσμός (120, 19); ἀτιθάσευτος (160, 4); δισκοειδής (192, 12); ἔγχρυσος (170, 7); ἐπήρης (171, 18); ἐπίνευσις (127, 13); εὐγνωμονεῖν (141, 10) [2]); ἑψητής (128, 2); ἡλιακός (111, 14); κατεράω (128, 10); κυκλίζεσθαι (156, 10); κυριολογία (119, 28); μεσοστύλιον (190, 11); ὀχύρωσις (143, 4); παρεμπλοκή (132, 1); περίρρυσις (141, 15); προκατεργάζομαι (118, 48); τετράγναθος (150, 15); τιτανῶδες (187, 16); χρυσωρύχιον (124, 4).

Pauca verba Agatharchides plane alio atque priores scriptores sensu adhibuit, quae sunt:

πτόησις (113, 17) = timor exhibet Petrus epist. I, 3: μὴ φοβούμενοι οὐδεμίαν πτόησιν; apud Platonem et Aristotelem cupidinem significat.

τεκνοποιεῖν (116, 2) omnes absolute usurpare solent, ut Xenoph. Mem. II, 2, 5: ὁ ἀνὴρ τὴν τεκνοποιήσουσαν αὐτῷ τρέφει, cf. Diod. I, 73, 8; contra Agatharchides dicit: τὰς καλουμένας Ἀτλαντίδας ἐτεκνοποιήσατο, quem unus quod video Tzetza sequitur hist. 6, 323: καὶ ἄλλους παῖδας τεκνοποιήσω . . .

γεοῦχος (184, 1) apud Agatharchidem significat agricolam (οἱ μὲν νομάδες, οἱ δὲ γεοῦχοι); comparari potest fortasse locus in apophthegm. patr. in Cotel. monum. episc. Graec. I p. 445 c: ἀπῆλθεν εἰς τὴν ἅλωνα καὶ λέγει τῷ γεούχῳ, quod terrae dominum sive possessorem reddidit Dindorfius in Stephani thesauro s. v.

μαρμαρίζω (125, 12) apud Agatharchidem significat lapidem marmore refertum, ut evincitur p. 123, 14; alio sensu usurpavit Pindarus ap. Athen. l. XIII p. 564 e: ἣν τάςδε Θεοξείνου ἀκτῖνας μαρμαριζούσας δράκης προςώπου.

---

[1]) Goetzeler l. c. p. 2 adn. 4.

[2]) Invenitur etiam in epistula, quae praemitti solet Anaximenis arti rhetoricae, ap. Spengel t. I p. 127, 11 rhetorum Graecorum.

παραφορὰ (p. 123, 5) translativo sensu usurpari solet, ut significet mentis morbum; Agatharchides proprio sensu usurpavit pro „anfractus“.

Denique breviter ea vocabula enumerare liceat, quae apud solum Agatharchidem ut videtur inveniuntur: ἀπογυναικοῦσθαι (189, 10); βουτροφία (116, 18); ἐκταμιεύω (189, 27); ἡ ἐλεφαντηγός (171, 21; est navis elephantos vehens, Diodorus dicit αἱ δὲ τοὺς ἐλέφαντας διάγουσαι sc. νῆες); οἱ ἐλεφαντοθῆραι (146, 7); λατομικός (125, 7; mutuatus est Diodorus III 12, 4); λατομίς (128, 28); μεθοδευτικός (159, 21); παραθυμιάω (188, 11, quod in suum textum recepit Diodorus III 47, 3); προθηράω (144, 6); σηλαγγεύς (127, 5); σκήνωσις (139, 20, quod Diodorus sibi usurpavit l. III c. 19, 3 et c. 21, 5)[1]; τρίσταθμον (185, 16); ὑποκαταστέλλω (188, 14).

Haec sunt quae de verborum electione proferre possum, quibus iterum Photi sententia refutatur Agatharchidem atticistam fuisse.

---

[1]) In Stephani thesauro afferuntur etiam Psalm. 42, 3; 77, 16; 51. at Psalm. 42, 3 et 77, 51 ap. Tischendorf. edit. alt. an. 1856 exstat σκήνωμα; contra Psalm. 77, 16 neque σκήνωμα neque σκήνωσις inveni.

Vita.

Natus sum Helmuthus Leopoldi in oppido Sternberg postridie Cal. Jan. anni h. s. LXVII patre Helmutho matre Carolina e gente Dopp, quam abhinc duos fere annos mortuam lugeo. fidem profiteor evangelicam. elementis litterarum imbutus vere anni LXXVI Suerini in Gymnasium Fridericianum receptus sum. autumno anni LXXXV maturitatis testimonium consecutus Lipsiam me contuli, studiis philologis et historicis operam daturus; sed jam vere anni LXXXVI in patriam reversus Rostochii civibus academicis adscriptus sum; ubi postquam per annum moratus sum, academiam Bonnensem adii; inde vere anni LXXXVIII iterum academiam Rostochiensem petivi. ineunte anno LXXXX nomen dedi, ut examina publica subirem, quae, postquam diu graviterque ex oculis laboravi, tandem mense Decembri anni novissimi absolvi.

Docuerunt me viri illustrissimi Hanssen Maurenbrecher Ribbeck G. Voigt † Lipsienses; Aufrecht Buecheler Klein Luebbert † Nissen Usener Bonnenses; Rostochii audivi docentes viros clarissimos Koerte Leo Marx Reitzenstein Schirrmacher Schwartz de Stein. seminarii philologi Rostochiensis et Bonnensis per binos semestres fui sodalis extraordinarius; factum est Marxii et Schwartzii benevolentia, ut in seminarium philologorum

Rostochiensium reciperer, cujus per quater sex menses sodalis fui. seminario historico Bonnensi, quod moderatur Nissen, per duos semestres, Rostochiensi, quod moderatur Schirrmacher, per quinque semestres interfui. exercitationibus archaeologicis per quinquies sex menses Koerte benigne me admisit. quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, imprimis vero Eduardo Schwartz, cui quidquid profeci hoc opusculo uni debeo.